AMOENITATES LITERARIÆ,

Quibus

VARIÆ OBSERVATIONES

Scripta item quædam anecdota & rariora Opuſcula exhibentur.

TOMVS SEPTIMVS.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,
Apud DANIEL. BARTHOLOMÆI,
M DCC XXVII.

MAGNIFICO, GENEROSISSIMO ATQVE CONSVLTISSIMO DOMINO,

DOMINO

JOANNI SCHÜTZIO,

SERENISSIMI ATQVE CELSISSIMI PRINCIPIS AC MARCHIONIS BADA-DVRLACENSIS ETC.

CONSILIARIO DIGNISSIMO

ET

REIP. MEMMINGENSIS CONSVLI H. T. REGENTI

BENEMERENTISSIMO

)(DOMI-

DOMINO ET MAECENATI SVO DEVOTISSIMA ANIMI REVERENTIA AD CINERES VSQVE DEVENERANDO

Hasce Pagellas

In publicum summæ suæ venerationis monumentum submisse nuncupatum conseratumque it

J. G. SCHELHORNIUS,
Scholæ Patriæ Conrector,
& Reip. Bibliothecarius.

ETC,

ETſi, VIR MAGNIFICE, benevola eruditorum judicia me, ſponte etiam currentem, ad ſtre-

nue decurrendum illud, quod divino fretus auxilio ſum ingreſſus, ſtadium graviter excitant; etſi ipſe ille labor, quem in paranda atque divulganda hacce opella haud invitus inſumo, nativa ſua jucunditate ac dulcedine mentem ad plura audenda acuit meam: nihil tamen acriores mihi admovere ſtimulos fateor, quam quod non ſine ſuavi tenerrimæ

oble-

oblectationis ſenſu perſpiciam, nec Patronis meis diſplicere exilia hæc conamina, quodque ſic mihi ſubinde commoda enaſcatur occaſio, publica Illis devotæ devinctæque mentis teſtimonia exhibendi.

In præſentia hoc penes TE defungi mihi liceat officio, VIR GENEROSISSIME, cujus excellentiſſi-

mæ virtutes & plurima in Patriam merita pectori meo impreſſerunt cultum ac venerationem longe maximam, cujusque gratioſæ benevolentiæ plurimum me debere profiteor, æternumque profitebor. Præſtantiſſimas illas dotes quibus divina TE largiter decoravit Providentia, inſignia illa officia a TE cum olim jam in viridi vernantis ætatis

tis TVAE flore difficillimis belli Bavaro-Gallici temporibus non absque magno discrimine, tum etiam postea domi forisque in gravissimis legationibus in Patriam collata, summam illam prudentiam multo usu ad sustinendas maximarum rerum curas abunde firmatam, expeditam illam in impeditis solertiam, felicissimam illam in confi-

ciendis arduis negotiis dexteritatem, indefeſſam illam pro Patriæ utilitatibus curam, & reliqua illuſtria ſapientiæ ac fidei TVAE documenta, eaque omnia, quæ ad Rerumpublicarum gubernacula ſedentes unice exornant, dudum in TE admirari atque cultu proſequi devotiſſimo didici.

Hæc

Hæc autem, cunctos bonos cives in TVI amorem & venerationem trahentia, me, qui in TE obſervando nemini unquam mortalium concedam, impulerunt, ut hoc qualecunque TVIS virtutibus ac in Patriam meritis monumentum publicum ſtatuere ſim auſus, quod ſerena fronte ut excipias, omnibus precibus contendo.

Sunt

Sunt vero & alia haud pauca, quæ debitæ gratitudinis cenſum, quem TIBI a longo jam tempore debeo, a me jure ſuo poſtulant. Et TVO enim, MAGNIFICE CONSVL, favori exoptatiſſimo ea, quibus hactenus Incluti Magiſtratus benevolentia multis me beavit vicibus, commoda accepta lubens meritoque refero: ſpesque

que hilaris meum permulcet animum, fore, ut & in posterum fortunæ meæ amplificandæ curam gratiose gerere, Musasque meas tenues patrocinio TVO animare ac fovere non dedigneris, qui jam olim quum in Academiis operam literis darem, mea studia subsidiis e legato Seyfridiano, cui dispensando atque

atque adminiſtrando laudabiliter præes, ſponte TVA juviſti, atque ita TIBI me reddidiſti devinctiſſimum.

Mihi autem, quoad hac frui aura licebit, nihil erit prius, nihil antiquius, quam illum TVVM favorem venerabunda ſemper mente colere, ac Supre-

premum Numen ardentiſſimis exorare precibus, ut TE, MAECENAS, in Memmingæ noſtræ ornamentum atque gaudium quam diutiſſime ſoſpitet, TIBIQVE cum GENEROSISSIMA CONJVGE quicquid eſt felicitatis perpetuo largiatur, & conſilia TVA porro TIBI glorioſa, Patriæ ſalutaria eſſe

esse clementer jubeat!
Scribebam Memmingæ A.
O. R. cIↃ IↃ CCXXVII.
ipsis Idibus
Jul.

PRÆ-

PRÆFATIO.

L. B. S.

HAud opus fuiſſet, in ipſo novi hujus voluminis exordio novo Te morari præfamine, niſi amicorum quorundam monitu conſtitutum mihi eſſet, in poſterum ſubinde huic opellæ inſerere vitas & memorias eruditorum in Suevia noſtra recens defunctorum, aliaque hiſtoriam noſtræ gentis litterariam illuſtrantia. Omnes igitur patriæ ſtudioſos quam humaniſſime ad ſuppetias mihi benevole ferendas invito, perſuaſiſſimos eos eſſe cupiens, debitum me illorum facilitati honorem ſemper habiturum. Ita vale, Amice Lector, atque favore Tuo noſtrum inſtitutum porro proſequere.

)( )(GA-

GALENUS.

Χαλεπον, ἀνθρωπον ὀντα μη διαμαρτανειν ἐν πολλοις, τα μεν ὁλως ἀγνοησαντα, τα δε κακως κρινοντα, τα δε ἀμελεστερον γραψαντα.

Difficile eſt aliquem, homo cum ſit, non in pluſculis errare: aliquando ignorantem omnino; alibi judicii falſum; rurſus alibi paulo incogitantius ſcribentem.

Series Articulorum hujus Tomi.

I. Commentatio in antiqua monumenta in agro Tigurino A. MDCCXXIV. eruta. p. 1.

II. Dissertatio de Libris combustis. p. 75.

III. M. Jac. Bruckeri Schediasma historico-philos. de convenientia numerorum Pythagoræ cum ideis Platonis, harumque ex illis origine. p. 173.

IV. Diſſertatio epiſtolica ad Irenæum Bibliophilum, cui præter Pauli III. Bullam prorogationis Concilii Mantuam prius indicti quædam de conſilio de emendanda Rom. Eccleſia Paulo III. dato &c. obſervationes inſertæ ſunt. p. 251.

V. Variæ Obſervationes. p. 280.

LVCVLENTA COMMENTATIO IN ANTIQVA MONVMENTA IN AGRO TIGVRINO NVPER ERVTA. (a)

(a) Visum est, pererudita atque elegantissima hac dissertatione novum hujus opellæ volumen ordiri, eaque in ipso limine lectores meos oblectare. Acceptam fero illam incomparabili humanitati Illustris IFFENBACHII, magni literarum Mæcenatis, & ævi nostri Peirescii, cujus curæ Auctor doctissimus, nominari nolens, eam commiserat. De iisdem vero monumentis antiquis Anno MDCCXXIV. mens. Junio & Julio feliciter erutis & ab interitu vindicatis, conjecturas suas publice eo ipso anno vernaculo sermone exposuit Maxime Vener. atque Celeberrimus Tiguinæ Ecclesiæ Archidiaconus Jo. Baptista Ottius.

ARGVMENTVM COMMENTATIONIS.

§. I. *Patria Hiſtoria in ſuis initiis mutila eſt: communia fata habuit cum priſca Romanorum Hiſtoria.* §. II. *Supplementi uberrimi vicem præſtant monumenta antiqua, Virorum Eruditorum Commentariis illuſtrata, unde & Antiquariorum dignitas derivatur.* §. III. *Commentarii hujus generale argumentum atque ſcopus panditur.* §. IV. *In* PAVIMENTORUM ORIGINEM *inquiritur.* PLINIO *lux accenditur, ejusque de Pavimentorum origine ſententia confutatur. Caſtigatur* MAR. GRAPALDVS. §. V. *Docetur* RATIO STRVENDI *Pavimenta penes Romanos ad mentem* VITRVVII. §. VI. *Varia Pavimentorum genera indicantur: quid* TESSELLATA & SECTILIA *differant, disquiritur: variæ Eruditorum Virorum,* PHILANDRI, BALDI, SALMASII, GRÆVII, BERGIERII *opiniones rejiciuntur, atque alia Vitruvii auctoritate ſtabilitur.* §. VII. *De* MVSIVO OPERE *diſputatur: Solo id nunquam ſemper Cameris adſignatum poſt Salmaſium obſervatur. Ejus ſtruendi ratio inter artes deperditas numeranda. Caſtigatur* JVL. CÆS. BVLENGERUS: *In denominationis originem inquiritur.* §. VIII. *Quid fuerint* LITHOSTROTA *exponitur,* SALMASII *ſententia confutatur.* §. IX. S. JOANNIS *Evangeliſtæ comm.* 13. CAP. XIX. *criticis illuſtratur Animadverſionibus.* §. X. *Modeſte refellitur* LIGTFOOTI *de cit.* IOANNIS *loco ſententia, atque de Romano Prætorio ſermonem eſſe, arguitur.* §. XI. *Curatius deſcribitur Pavimentum noſtrum in Pago Kloten erutum: Initur numerus reliquorum Pavimentorum in Helvetia hactenus erutorum: promiſcuus artis hujus uſus leviter indicatur.* §. XII. *Reliqua ædium* RVINÆ *& univerſa Inſtrumentorum, Vaſorumque ſuppellex, excutiuntur juxta & elucidantur.* §. XIII. LITTERATA MONVMENTA *in duas Claſſes dividuntur, atque Inſcriptiones,*

ptiones, quæ XI. LEG. mentionem faciunt, recenſentur. §. *XIV. Texitur LEGIONVM Romanarum HISTORIA ex mente DIONIS, qui emendatur: JVST. LIPSIVS haud leuiter notatur.* §. *XV. Ea LEGG. Hiſtoria ſuppletur.* §. *XVI. LEG. XI. agnomina C. P. F. exponuntur.* §. *XVII. SEDES illius HIBERNA indicatur, INSCRIPTIONES duæ illuſtrantur: altera quoque emendatur.* §. *XVIII. Explicantur reliquæ INSCRIPTIONES quæ XXI. LEG. memorant.* §. *XIX. Eidem SEDES HIBERNA adſignatur.* §. *XX. Ex Lapidibus Litteratis texitur integra ſeries Legionum, quæ ſub Imperio Romano in Helvetia morabantur.* §. *XXI. Ad alteram Litteratorum monumentorum claſſem referuntur NVMMI diverſi moduli ærisque, qui curſim recenſentur.* §. *XXII. Arguitur ex his monumentis CASTRA quondam ROMANA ad pagum Kloten fuiſſe poſita: id quod fuſius demonſtratur.* §. *XXIII. Agitur de PRÆTORIO, TRIBVNALI & SACRIS Caſtrorum.* §. *XXIV. De OFFICINIS & variis ad Caſtra ÆDIFICIIS diſputatur.* §. *XXV. Confirmatur ea ſententia ex loci opportunitate.* §. *XXVI. Refellitur eorum opinio, qui publica iſto in loco BALNEA fuiſſe contendunt.* §. *XXVII. Inquiritur in tempus horum Caſtrorum.* §. XXVIII. *Momentum horum ruderum expenditur pro demonſtranda ANTIQVITATE VRBIS TIGVRINÆ.*

§. I.

GEntis noſtræ origines, Maſorumque res vel pace vel bello præclare geſtæ longa premuntur nocte: Patria enim Hiſtoria ad ea uſque tempora, quæ Auguſtiſſimum illud Helvetorum Fœdus proxime anteverterunt, omnis ferme fabuloſa eſt atque mutila, ex levibus quibusdam fragmentis & conjecturis ut plurimum frivolis conſarcinata, frequentes inibi lacunæ, mera caligo, meræ tenebræ!

Quaſi per incertam lunam ſub luce maligna
Eſt iter in Sylvis, ubi cœlum condidit umbra
Jupiter, & rebus nox abſtulit atra colores.

Accidit nimirum illi, quod priſcæ Romanorum Hiſtoriæ, de qua C. SALLVSTIVS in *B. Catil. Profecto*, inquit, *fortuna in omni re dominatur, eaque res cunctas ex libidine magis, quam ex vero celebrat obſcuratque. Athenienſium res geſtæ, ſicut ego exiſtumo, ſatis amplæ magnificæque fuere, verum aliquanto minores tamen, quam fama ferun-*

tur:

tur : ſed quia provenere ibi magna ſcriptorum ingenia, per terrarum orbem Athenienſium facta pro maximis celebrantur. Ita eorum, qui ea fecere virtus tanta habetur, quantum ea verbis potuêre extollere præclara ingenia. At populo Romano nunquam ea copia fuit; quia prudentiſſimus quisque facere, quam dicere, ſua ab aliis benefacta laudari, quam ipſe aliorum narrare malebat. En priſcæ gentis noſtræ veram imaginem!

§. II.

Has vero Patriæ Hiſtoriæ lacunas magnam partem explent Monumenta illa antiqua ſive Emblematica, ſive Litterata, æri, lapidibus, gemmis inciſa, totidem quaſi Hiſtoriarum volumina, quæ multa nobis Hiſtoriæ capita, omnibus indicta Annalibus, ab oblivione vindicant, & in claram lucem producunt; multa Hiſtoricis quaſi aliud agendo memorata illuſtrant; multa denique ad antiquos mores ritusque ſpectantia, & poſteris exemplo futura docent.

I nunc Argentum & Marmor vetus, AEraque, & Artes
Suſpice — — —

Intelligis nimirum, quo loco habendi ſint illi, qui in explicandis iluſtrandisque Antiquo-

tiquorum operum reliquiis & quaſi naufragii tabulis rite occupantur ; Hiſtoricorum vicem præſtant, & ubi hi incipiunt, iſti ut plurimum finiunt. Vero non hoc ago, ut Antiquariorum dignitatem ad invidiam vſque laudibus extollam; nobis in hoc genere otia fecêre Viri immortales & ſuis in Rem Litterariam meritis toto orbe celeberrimi.

§. III.

Animus eſt hoc Syngrammate, quantum lucis Antiquitatum ſtudium in ipſam quoque Hiſtoriam Patriam diffundat, recenti aliquo & ipſa novitate memorabili edocere exemplo. Eruta ſunt nuper in pago quodam ad ſecundum lapidem ab Urbe Tigurina, dicto Kloten, egregia nonnulla Antiquitatis monumenta ; Pavimentum marmore cæſim diminuto ſtratum, varii generis inſtrumenta Sacra, nummi, Inſcriptiones &c. alia : Quæ omnia Auctoritate AMPLISSVMI SENATVS, ſub auſpiciis Viri Nobiliſſimi & moris antiqui Peritiſſimi JOH. HENRICI ZOLLERI, *Tribuni militum*, cui hæc provincia S. C. demandata erat, magno ſtudio atque labore per latiſſimum campum conquiſita, lucique reddita, quin & optimo conſilio Tigurum in Cimeliar-

meliarchium publicum transportata fuere, ubi κειμηλια iſthæc magna cura aſſervantur. Et digna omnino ſunt, quam quæ maxime attentione noſtra; proinde me operæ pretium facturum exiſtimavi, ſi otii mei ſubceſivas horas illuſtrandis his monumentis occuparem.

§. IV.

Inter monumenta noſtra primum merito locum tenet Pavimentum affabre ſtratum, a quo proin & commentationem noſtram ordiemur. Repetam autem rem omnem ab ovo, atque argumentum illud de pavimentorum origine, ſtructura, generibus paulo cujus curatius excutiam, quoniam perperam multa in hoc genere ab Eruditis ſunt tradita. Et Pavimentorum quidem originem quod adtinet, PLINIVS nobis conſulendus eſt, qui *Hiſt. Nat. Lib. XXXVI. cap.* 25. id ex profeſſo agit: *Pavimenta*, inquiens, *originem apud Græcos habent elaborata arte picturæ ratione, donec Lithoſtrota expulere eam. Celeberrimus fuit in hoc genere Soſus* *, *qui Pergami ſtatuit* (vel

* Pro Soſo Xenodorum neſcio quem M. GRAPALDVS in *Lex.* de *Part. Æd.* Lib. II. c. I. p. 56. ſub-

ut alii rectius: *ſtravit) quem vocant* Ἀσαρωτὸν οἶκον, *quoniam purgamenta cœna in pavimento, quæque everri ſolent, veluti relicta fecerat parvis e ** teſtulis tinctisque in varios colores. Mirabilis ibi columba bibens, & aquam umbra capitis infuſcans. Apricantur aliæ ſcabentes* (Salmaſius legit auctoritate librorum veterum: *lavantes*) *ſe ſe in cantbari labro.* Hactenus de pavimentis ſubtegulaneis, ſeu quæ ſub tecto ſternebantur. De ſubdialibus paulo inferius: *Subdialia Graci invene-*

re,

ſubſtituit. *Sternuntur*, inquit, & *Aſarota, in quibus Xenodorus primus claruit; nam Aſarotum ſtravit miro artificio parvis teſtulis in varios colores tinctis & imagines pictis.* Unde *Papinius I. Sylv.* Tiburtinam villam Vopiſci deſcribens:

\- - - - *varias ubi picta per artes*
Gaudet humus, ſuperantque novis Aſarota figuris.

Nomen ab α & σαίρω, vel σαρόω, *everro*, vel *ſcopis expurgo* mutuantur. Videtur Marius inſolens hoc Dædali nomen ex aliquo Plinii Codice, ex quo & reliqua hauſiſſe: faciunt tamen plurimi Codd. pro *Soſo.*

** *Salmas in Exercit. Plin.* pag. 854. *b. A.* Teſtulæ illæ, inquit, in mendo ſtratæ. Vetus liber: *parvisque eſſent utilis:* lege: *parvisque e teſſerulis.* Verbo Lutilii uſus, cujus & verſum ibidem citat:

\- - *lexis compoſtæ, ut teſſerulæ omnes*
Arte pavimento, atque emblemate vermiculato.

Id vero Salmaſius ſola auctoritate ſua mihi non perſuadebit, cum vulgata Lectio propius accedat ad ſcripturam Librorum veterum.

re, talibus domos contegentes. Nimirum ea pavimenta omnium prima & antiquiſſima credit, quæ arte omni & ornatu privata erant, ſolo fiſtucationibus magna cura ſolidato, ut *Vitruvius* loqui amat? FISTVCA enim interprete *Bernald. Baldo* in *Lexic. Vitruvian.* anſatum & capitibus ferratum inſtrumentum eſt, quo pali ſublicæque in terram panguntur & ſolum exæquatur atque firmatur, *pavicula* quoque vocatum ipſum hoc inſtrumentum a *paviendo*, hoc eſt, feriendo, unde *pavimenti* nomen. Hujus generis pavimenta *barbarica* proin dicta, quia omni cultu & ornatu erant deſtituta. *Plinius* claris verbis, quæ hunc in modum legenda: *Pavimenta credo primum facta, quæ nunc vocamus barbarica, eaque ſubtegulanea, in Italia fiſtucis PAVITA: hoc certe ex nomine ipſo intelligi poteſt.* Poſtea a Græcis pingebantur hæc pavimenta variis coloribus, ut hodie vulgo parietes: creſcente autem luxu picta hæc pavimenta locum cedere cogebantur Lithoſtrotis, hoc eſt, pavimentis lapillis ſtratis, in quorum genere etiam erant Aſarota, quorum artifex Soſus *Plinio* celebratur: Ne vero ejus manes mihi iratos habeam, pace illius dictum ſit, eum ex gentis ſuæ more facere, quæ artium ferme omnium ac diſcipli-

ſciplinarum originem Græcis tribuere ſolebat. Nos antiquiora eſſe pavimenta illa & ſubtegulanea & ſubdialia cenſemus, idque auctoritate Sacræ Judæorum Hiſtoriæ: de illis mentionem facit *Liber Eſther Cap. I. v. 6.* ubi ſumtuoſiſſimum illud Ahasveri convivium graphice deſcribitur; Cænatorii lectuli poſiti erant על רצפת טהב ושש ורר וסוחרת Hæc vero memorat. *II. Lib. Samuel: cap. XI. v. 2.* In Italia vero ante Cimbricum bellum jam fuiſſe frequentata magna gratia animorum teſtis eſt *Plinius* l. c. qui nos itidem docet, *Romæ ſcalpturatum in Jovis Capitolini æde primum factum eſſe poſt tertium Punicum bellum initum: Lithoſtrota vero cœptaviſſe jam ſub Sylla.* Hæc de pavimentorum origine ex Plinio. Clariſſ. *Guil. Gœree* in *Antiqq. Bibl.* Originem pavimentorum Emblematibus pictorum derivat ex more priſco per florea prata jacentium aut ſedentium; cenſetque emblemata hæc pavimentorum præbere accumbentibus ſpeciem floridi quaſi thori: ad partes ſuas vocat *Auſonium Moſell. v. 48.*

I nunc & Phrygiis ſola lævia conſere cruſtis
Tendens marmoreum laquieata per atria campum.

item

item etiam *Prudentium* περὶ Στεφ. in Hymn. III. v. 196.

Tecta corruſca ſuperrutilant
De laquearibus aureolis;
Saxaque cœſa locum variant,
Floribus ut reſoluta putes
Prata rubeſcere multimodis.

§. V.

Pergo nunc ad Pavimentorum ſtructuram. Hanc nos docet VITRVVIVS *Lib. VII. Cap. I.* quo magiſtro in hoc argumento uti cogito. Pavimentum omne quatuor coriis ſeu ſtratis diſtinguebatur. Primum atque imum pavimentorum ſtratum STATVMEN dictum, conſtat ex lapillis, ut vult *Plinius H. N. Lib. XXXVI. c.* 25. globoſis, ope calcis & ſignini coagmentatis; de eo *Vitruvius*: *Tunc inſuper ſtatuminetur, ne minore quidem ſaxo, quam quod poſſit manum implere.* Alterum corium dictum RVDVS: *Rudera*, teſte *Iſidoro in Originib. appellant* artifices *lapides contuſos & calci admixtos, quos in Pavimentis faciendis ſuperfundunt.* Rationem ſtruendi corii hujus exponit *Vitruvius*: *Statuminationibus inductis ruderetur. Rudus ſi novum erit*, h. eſt, e novo factum

factum lapide aut recentibus teſtis, *ad tres partes una calcis miſceatur*, (vel ut *Palladius* vult *Lib. I. c.* 9. Saxi contuſi duas partes, cum una calcis temperatæ conſtitues) *ſi redivivum fuerit*, ſcilicet e veteri renovatum ex pavimento aut ædificiis dirutis, *minus opus eſt calcis, ſed ad quinque ſufficiunt partes duæ:* ita expreſſis verbis *Vitruvius: Quinque ad duum mixtiones habeant reſponſum. Deinde Rudus inducatur, & vectibus ligneis decuriis inductis crebriter pinſatione ſolidetur, & id non minus pinſum abſolutum craſſitudine ſit dodrantis IX. puta pollicum.* Tertium ſtratum NVCLEI nomine veniebat, ratio denominationis in promtu eſt cuivis: molle hoc erat atque tenellum; præcipit de eo *Vitruvius: Inſuper ex teſta nucleus inducatur, mixtionem habens ad tres partes unam calcis, uti ne minore ſit craſſitudine pavimentum digitorum ſenum.* Tandem inducebatur *ſuma CRVSTA: ſupra nucleum ad libellam & regulam exacta pavimenta ſtruantur.* Pavimentis hunc in modum coaptatis accedebat ultimo loco fricatura, uti ſcil. anguli omnes eſſent æqualiter plani, neque tumuli aut lacunulæ exſtarent. Integrum pavimenti opus craſſum erat digitos quindecim. His autem Romanæ Architecturæ præceptis exacte

acte respondet pavimentum illud nostrum Clotense ad libellam structum.

§. VI.

Memorantur vero antiquis varia pavimentorum genera: TESSELLATA, SECTILIA, LITHOSTROTA, alia, quæ superficie tantum ab invicem erant distincta, secundum cujus varietatem, varia habuere nomina. In hac rerum, opinionumque discordia nostrum erit disquirere, ad quam pavimentorum classem illud Clotense potissimum sit referendum. Auctores antiqui TESSELLATA & SECTILIA passim ab invicem distingunt; in quo vero isthæc diversitas fuerit posita, tot sunt Eruditorum sententiæ, quot capita. *Philander* in *Animadv. ad Vitruv. Lib. VII. c. I. Per Sectilia*, inquit, *intelligo parvas marmoreas crustas, in varios interdum colores tinctas: per tesseros quadrata grandia.* *Baldus* contra in *Lexic. Vitruv.* ad vocem TESSERA: *Ego* tesseras *puto ad Musivum opus* vel pictum *pertinere*; Sectilia *vero secti marmoris esse quadrata grandia.* Clariss. *Salmasius* in *Exerc. Plin. ad Solinum pag.* 854. Sectilia *sectis parvulis marmorum crustis strata erant, ex diversi generis & coloris marmoribus non tinctis.*

ctis. Teſſellata *ex parvis teſſellis, hoc eſt calculis quadratis in varios colores tinctis.* Quocum facit & Clariſſ. *Grævius in Not. ad Sueton. Jul. I.* 46. *Bergierius* vero *Lib. II. de publ. & milit. Viis Imp. Rom. Sect. XII. §. 5. Quadra illa erant generatim vel majora, vel minora. Majora in faciem porrecta infra quatuor digitos, imo reperiuntur, quæ æquant fabæ magnitudinem: Majora dicebantur* Teſſeræ *vel* Teſſellæ, *& ex iis facta pavimenta teſſellata: minora* ſectilia *vocabantur.* Quod exſtruit alius, alius turbat atque diruit. Nugas vero agunt illi, qui diſtinctionem ſectilia inter & teſſellata in colore ſeu nativo ſeu adſcititio quærunt; cum nullum ex antiquitate teſtimonium queant producere, quo hæc illorum firmetur hypotheſis: conſtans enim antiquis Auctoribus de hac diſtinctionis nota ſilentium. Ad veritatem propius accedere videntur illi, qui cruſtularum magnitudine fuiſſe diſtincta autumant, inveniunt enim ſententiæ ſuæ aliquod præſidium in ipſa *Sectilium* appellatione. Verum contra eos facit *Vitruvius* l. c. qui teſſeras abſolute ſic dictas, per quas minores teſſellas intelligit, quasque grandibus opponit teſſeris, a ſectilibus expreſſe differre docet. Ego proin ab his Reip. Litterariæ

terariæ Dictatoribus discedere & in omnia alia ire non vereor : cum fiducia asserens Tessellata sectiliaque pavimenta nonnisi crustularum figura ab invicem fuisse distincta ; Tessellata quidem calculis quadratis sive tessellis; Sectilia vero cujuscunque alius figuræ lapillis strata erant ; fidem facit *Vitruvius* l. 8. c. quod miror neminem hactenus advertisse ; *Cum ea*, inquit, *pavimenta exstructa fuerint, & fastigia exstructiones habuerint, ita fricentur, ut si* Sectilia *fuerint, nulli gradus in scutulis*, seu rhombis, *aut trigonis, aut quadratis*, oblongis scil. *seu favis* i. e. hexagonis *extent : Sed coagmentorum compositio planam habeat inter se directionem. Si Tesseris structum erit, ut ea omnes angulos habeant æquales, nullibique a fricatura extantes.* Ut taceam istam meam opinionem diversa hac Sectilium, Tessellatorumque denominatione mire confirmari.

§. VII.

Hactenus de Pavimentis Tessellatis & Sectilibus : Nunc de *Musivis* disputabo *operibus*. Nolo autem varias variorum de illis conscribillare sententias ubivis obvias & ut plurimum ineptas : ea tantum in medium proferam, quæ argumentorum vi atque

que pondere firmata ſunt. Et ante omnia quidem monendum eſt, hallucinari omnes, qui Muſivum pavimentis adſignant, quod cameris & apſidibus proprium: Cameram, trullum, apſidem legimus ubique de Muſivo pictam; ſolum autem vel ἔδαφος nunquam: tantum certe intereſt inter muſivum & pavimentum, quantum inter ſolum & cameram triclinii. Clariſſ. *Sponius in Miſcell. Erud. Antiq. Diſſert. II.* habet inſcriptionem, quæ Cameris adſignat Muſeum: ET HOC AMPLIVS PRO SVA LIBERALITATE CAMERAM SVPERPOSVIT ET OPERE MVSEO EXORNAVIT. &c. Nusquam autem invenies dictum, pavimenta de Muſivo picta. Videatur in hanc rem *Almaſius in comment. ad Æl. Spart. cap. 6.* ubi aſſertum hoc vel centum teſtimoniis firmat. Exiſtimant viri in hoc ſtudiorum genere celeberrimi Muſivum opus materia & forma a teſſellato picto non differre; videſis *Baldum* in *Lexic. Vitruv.* ad vocem TESSERA. *Peraltum* in *Annot. ad Vitruvium*; *Salmaſium* in *Exercit. Plin.* p. 855. &c. Ego contra de ratione operis Muſivi quicquam absque temeritatis culpa a quoquam poſſe affirmari nego, in tam alto Auctorum ſilentio: *Plinius & Vitruvius* ejus ne quidem meminerunt;

runt ; *Æl. Spartianus cap.* 6. & *Treb. Pollio* in *Tetric. Jun.* nonniſi quaſi aliud agentes leviter ejus nomen tangunt ; & quicquid ex priſcis auctoribus de ratione hujus operis diſcimus, huc redit, omnem Muſivi operis artem ad picturam eſſe referendam. Mirari vero ſatis non poſſum *Jul. Cæſar. Bulengerum* in opere de *Pictura & Plaſtice Lib. I. cap.* 9. enormiter hallucinantem: Ego, ait, *Muſivum opus de omnibus ſigillis, imaginibus, exemplis, quæ ex teſſellis, ex ſcutulis marmöreis, aut ex hyacinthis, unionibus, carbunculis & aliis gemmis, lapillisque conſtruuntur, interpretor. Scribit enim Pollio in Tetrico jun. Tetricos obtuliſſe Aureliano civicam coronam de Muſeo pictam, i. e. ſigillis & imagunculis ex unionibus, Smaragdis & carbunculis ornatam.* Nusquam Trebell. Pollio hæc memorat : id vero dicit, imaginem coronæ illius, quam Aurelianus a Tetricis in grati animi monumentum acceperat, de Muſeo fuiſſe pictam : dabo ipſiſſima ejus verba : *Tetricorum domus hodieque extat in monte Cœlio inter duos lucos contra Iſium Metellinum, pulcherrima, in qua Aurelianus pictus eſt, utrique prætextam tribuens & ſenatoriam dignitatem ; accipiens ab his ſceptrum, coronam civicam picturatam de*

Museo. Originem nominis quod adtinet, communis est Eruditorum sententia, quam habet Clariss. *Sponius Disq. Cur. Diss. II. p.* 21. *On donnoit à ces sortes de pavez,* (sequitur communem errorem) *le nom de Musea, Musia & Musiva, parce qu'on attribuoit aux Muses les ouvrages ingenieux, & qu'on y representoit les Muses & les Sciences. Nous avons même dans Lyon l'Eglise ancienne de S. Irenée, qui etoit toute paveé d'une Mosaique où l'on voit encore depeintes la Rhetorique, la Logique & la Prudence.* Addunt huic conjecturæ aliquod pondus, quæ habet *Pausanias Lib. II. cap.* 31. de Musæo Trœzeniorum in Peloponeso: Οὐ πορρωδε Ιερον Μουσων ἐςι. — Του Μουσειȣ δε πορρωβωμος ἐςιν ἀρχαιος, ἐπι δε ἀυτω Μουσαις ϗ ὑπνω θυουσι. Neque tamen communis hæc sententia firmo satis stare talo videtur: Siquidem artium omnium atque scientiarum originem & incrementum Musis tribuere solebat veneranda antiquitas; quin & artium illæ Litterarumque Præsides non unico hoc picturæ genere, neque solæ effingebantur; quî ergo huic soli nomen inde hæsisset? quasi vero non eodem sive jure, sive injuria hæc denominatio & Statuariæ arti, & picturæ omni & Plastice conveniret.

Ego

Ego quidem huic operi ab inventore nomen inditum cenſeo : *Pauſanias Lib. IV. cap.* 24. *Muſi* alicujus artificis mentionem injicit, de baſi ænea, quæ Jovem ſuſtinet loquens : Μουσα δε ἐϛι ποιημα, ὁϛις δη ουτος ἐϛι Μουσος.

§. VIII.

Pergamus ad LITHOSTROTA : frequens illorum apud antiquos auctores mentio. *Varro de Re Ruſt. Lib. III. cap.* 1. *Cum enim villam haberes opere tectorio & inteſtino ac pavimentis nobilibus* lithoſtrotis *ſpectandam, parum putaſſes eſſe, ni tuis quoque litteris exornati parietes eſſent.* & *cap.* 2. *Nunc ubi hic vides citrum, aut aurum? num minium, aut armenium? num quod emblema aut* lithoſtrotum? *quæ illic omnia contra.* De his *Salmaſius* in *Exerc. Plin. p.* 855. „Teſſellata pavimenta omnino diverſa fuerunt „ a *Lithoſtrotis*, ut clare ſignificavit Plinius. „ Male igitur Viri Doctiſſimi Lithostrota „ & Teſſellata eadem faciunt. *Lithostrota* „ ſectis parvulis marmorum cruſtis ſtrata „ erant ex diverſi generis & coloris mar-„ moribus non tinctis. Suetonius *Sectilia* „ latine vocat τα Διθοξρωϛα. & diſtinguit a „ teſſellatis, *in Cæſare.* Grammatici apud „

„ Homerum το κραταιαπεδον interpretantur „ λιθοςρωτον ἡ ψηφολογητον ἐδαφος. Ergo diversum Lithostrotum à tessellato & paulo inferius; „ *Lithostrota* in pavimento ac solo mansere; *tessellata* ad cameras translata & musivi operis nomine appellata „ sunt. Salmasius Lithostrota a tessellatis distinguit, cum sectilibus vero suis confundit, quibus ex rationibus, ego quidem non intelligo. Prolixus satis in exponendis suis opinionibus, sed in iis confirmandis nimis parcus. Frustra vel Plinium, vel Suetonium in subsidia vocat; quæcunque enim heic sibi fingit de Lithostrotorum a tessellatis distinctione & cum sectilibus synonymia, mera sunt somnia, ne levissimis quidem rationibus fulta. Docet enim *Plinius* claris verbis generale Lithostrotorum nomen esse, & ab utrisque tessellatis & sectilibus pavimentis differre, ut genus differt a suis speciebus: *Lithostrota*, inquit, *expulere rationem pingendi pavimenta. Celeberrimus fuit in hoc genere*, sc. lithostrotorum *Sosus, qui &c.* Refert nimirum Plinius ipse inter Lithostrotorum species Asarota atque imprimis Sosi illud Pergamenum ex parvis crustulis tinctis stratum.

§. I.

§. IX.

Neque vero profani tantum Auctores, verum S. etiam Pandectæ Lithoſtrotorum mentionem faciunt. Inſignem ſuppeditat locum S. JOANNES Evangeliſta CAP. XIX. v. 13. quem hac ſectione criticis quibusdam illuſtrabimus animadverſionibus, ut doceamus, Antiquitatis Scientiam etiam Libris S. in quibusdam commatibus lucem præferre. Locus ita habet : Ὁ οὖν Πιλατος ἀκουσας τουτον τον λογον, ἠγαγεν ἐξω τον Ἰησουν· καὶ ἐκαθισεν ἐπι του βηματος, εἰς τοπον λεγομενον ΛΙΘΟΣΤΡΩΤΟΝ : ἑβραιϛι δε ΓΑΒΒΑΘΑ. Βημα hoc Pilati, de quo loquitur Joannes, erat extra Prætorium, ut colligimus ex *cap. XXVII. Evangelii ſecundum Matthæum. v.* quippe 19. Pilatus memoratur ſedens ἐπι του βηματος, & v. 27. milites deduxerunt Jeſum à Tribunali εἰς το Πραιτωριον. Et *Joſephus* claris verbis docet Tribunal Pilati non longe a Prætorio abfuiſſe, extructum in Stadio magno : Ὁ Πιλατος, inquit, καθιζας ἐπιβηματος ἐν τω μεγαλω Σταδιω. Quin & Prætoria caſtrorum a Tribunali erant ſejuncta ; præcipit *Hyginus* de *Caſtramet. Parte læva Prætorii*, nimir. extra Prætorium, *Tribunal. ſtatuitor.* Pars areæ Tribunalis Pilati lapillis erat ſtrata quare ſubdit Joannes :

εἰς τοπον λεγομενον ΛΙΘΟΣΤΡΩΤΟΝ: Omnis ferme interpretum chorus εἰς pro ἐν positum affirmant; enallage sacris N. T. scriptoribus frequentissima: Ego vero, integro aliorum judicio, verborum insignem & divinis iisdem scriptoribus non minus frequentem animadverto methatesin, ita explicandam: Ὁ οὐν Πιλατος ἀκουσας τουτον τον λογον, ἠγαγεν ἐξω τον Ἰησουν εἰς τοπον λεγομενον λιθοστρωτον, (ἑβραιστι δε Γαββαθα,) ηὐ ἐκαθισεν ἐπι του βηματος. Interpretor illud ΛΙΘΟΣΤΡΩΤΟΝ, pavimentum lapide pretioso cæsim diminuto, & in varia picturæ genera discriminato, stratum: ut *Apuleji* verbis utar. Sectilene fuerit, an tessellatum cum ignarissimis æque nescio. Dictus autem judicii iste locus ἑβραιστι ΓΑΒΒΑΘΑ. Ebraicum dicit illud Γαββαθα S. Joannes, Syrum autem Nonnus. *Albericus Gentilis Disp. ad I. Maccabæorum; Aut hæc melius explicamus cum bonis Magistris,* (Junium indigitat ad Joan. XIX. v. 17. & Tremellium ad Joan. XX. 5.) *ut quod Syrus sæpe in N. T. dicit Ebraicum, id proprie Ebraicum non sit, sed vel Chaldæum vel Syrum, dicat Ebraicum tamen, quoniam tunc temporis Syriaca Lingua Ebræis esset vulgaris,* (ex sententia quorundam, non omnium; cui tamen nimis multa obstant) *nam sua lingua usum*

uſum, jam in ipſa captivitate amiſerant, ac victorum idioma, vicinarumque regionum (quod vel chaldæum erat, vel Syrum) didicerant. Per contrarium dicunt Chaldaicam alii, quæ Hebræa, & quia ſunt linguæ iſtæ affines: & chaldaica notior erat. Imo Salomonis Ebraica Lingua Aſſyria alicubi dicitur. *Themiſtius* Philoſophus cognomento Εὐφραδής, *Orat. V.* de Theodoſ. Imper. Πεπιϛευκε γαρ ευποιων τω λωγω το Ασσυριω, ὁς την καρδιαν του βασιλεως λεγει, ἐυ λεγων, ἐν τη τε θεε παλαμη δορυφορειϑαι. Omnino reſpicit dictum Proverb. cap. XXI. v. 1. Celeberrimi interpretes illud ΓΑΒΒΑΘΑ derivant a Syriaco גב, quod deſignat *crepidinem, dorſum* aut *ſuperficiem eminulam*, eaque notio non multum abludit a re noſtra. Nihil interim obſtat, quominus Joannem proprie locutum aſſeramus, & hanc vocem derivemus ab Ebraico verbo גבה, *elatum, excelſum eſſe*: Nimirum Romani a miro artis pavimento huic loco impoſuere nomen; Judæi vero ἀπο του βηματος, quod deſcendit a βαινω, *ſcando*, cui optime reſpondet illud ΓΑΒΒΑΘΑ. *Tacitus* de ſeditione Pannonica: *Una tres aquilas & ſigna cohortium locant, ſimul congerunt ceſpites, quo magis conſpicua ſedes foret.*

§. X.

Fui quidem hactenus in eâ opinione, agi in hoc, qui nos occupat, Joannis loco de Prætorio Pilati, adeoque Romano. Verum audiendus etiam est in contrarium Clar. LIGFOOTVS ad h. l. *Quidnam est*, inquit, *quod objiciatur, si dixerit quis, quod Evangelista per hunc titulum intellexerit Conclave Gazith, ubi sedes Synedrii? Et quod cum Judæi nollent ire in Prætorium Pilati, (& nonne tribunal ejus in Prætorio?) ipse iverit in Prætorium & Tribunal eorum? Refert* Aristæus, *quod templum spectavit ad ortum, posterioribus ejus ad occasum tendentibus*, το δε παν ἐδαφος Λιθοςρωτον καθεςηκε: *cui adtestantur* Talmudici, *& speciatim de Pavimento* Josephus *memorabili historia* de Excid. Lib. VI. cap. 7. &c. *At nonne Conclave Gazith habuit pavimentum lapidibus stratum modo accuratiori & nobiliori? Unde aliter ejus nomen? Dictum est* לשכת גזית, *inquit* Aruch *quia structum fuit lapidibus dolatis. Nonne & ita etiam reliqua conclavia?* in Bava Mezia fol. 117. 2. *& in* Bathra fol. 2. 1. *distinguunt inter:*, כפיסין *&*, גזית *&*, גויל *&* לבונין, *lapides rudes, & dolatos, & semilateres, & lateres. Jam ergo cum plurima fuerint conclavia circumatria,*

cumatria, num illa ex rudibus lapidibus, aut lateribus ſtructa, hoc autem ſolum ex lapidibus dolatis? Magis uniformis erat procul omni dubiö tota ſtructura. Et tum probabiliorem rationem vix excogitaveris, quare locus iſte præ omnibus aliis dictus fuerit Gazith, quam a pavimento lapidibus dolatis ſtrato modo accuratiori. Quidnam igitur vetat, quo minus per Λιθοστρωτον *h. l. intelligatur iſte locus?* Nemo ibit inficias Clariſſ. Viro conclave Gazith pavimento nobiliori fuiſſe ſtratum, in quo probando tam operoſus eſt: quî vero inde ſequatur per λιθοστρωτον apud Joannem deſignari illud ipſum Conclave Gazith, id ego hactenus pro mea ſtupiditate nondum pervideo. Et multa omnino obſtant, quominus huic ſententiæ noſtrum adjiciamus calculum: I. ſcire velim, ex Clariſſ. Viro, quamobrem S. Joannes non illa ipſa voce גזית ad deſignandum conclave illud fuerit uſus, quæ proprie Λιθοστρωτου ſignificationem exprimit, & communis atque recepta denominatio erat? Si dixiſſet S. Joannes, ut omnino ex Ligtfooti mente debuiſſet: Ἠγαγον αὐτον εἰς τοπον λεγομενον λιθοστρωτον, ἑβραιστι δε Γαζιθ, res eſſet extra omnem dubitationis aleam poſita. Cum vero perhibet locum illum Judæis dictum eſſe Γαββαθα,

rectiſſime colligo, indigitari alium quemdam locum a conclavi Gazith diverſum; niſi probetur illud ipſum conclave Judæis quoque ſub nomine Γαββαθα clarum fuiſſe. Sed hoc opus, hic labor eſt. II. Quis a ſe poterit impetrare, ut credat Pilatum Proconſulem renitentibus Judæis ipſum accedere, ultro Conclave Gazith adiiſſe, Synedrii ſedem? Cum Evangeliſtæ una omnes ſententia Judæos quidem in cœdem innocentiſſimi Servatoris furore quodam ſtimulatos ruenteisque, Pilatum vero Salutem ejus ſtudioſe quærentem referant. III. Fallitur omnino Eruditus Anglus tribunal intra Prætorium conſtituens, de quo ſupra: neque proin opus erat, ut Judæi Prætorium Pilati ingrederentur; neque etiam vetitum ipſis erat vel profeſtis etiam diebus, ſi quod urgeret negotium in loco publico cum homine gentili ſermones miſcere. IV. Ipſe textus Sacer Eruditi Viri opinionem omnem reſpuit atque deſtruit: Expreſſis verbis *S. Joannis cap. XVIII.* 28. Ἄγουσιν οὖτον Ἰησοῦν ἀπὸ τοῦ Καϊαφα εἰς τὸ Πραιτωριον. Ibi reliqua omnia peracta ſunt. Quid quod ipſa Prætorii vox, quæ origine latina eſt, ſatis evincit, agi h. l. de Prætorio Romano, non de ſede Synedrii Judæorum

1. pag. 27.

2 pag. 29





rum. Nollem vero quisquam hæc ita dicta accipiat, quasi meritis immortalis viri temere quid derogatum vellem; neque enim petrahere ausim hærentem capiti multa cum laude coronam. †

§. XI.

Redeo in viam, atque tandem concludo, illud de quo agimus Clotense Lithostroton seu pavimentum inter tessellata esse referendum. Contextum illud est atque coagmentatum ex tessellis marmoreis magnitudine nucem avellanam æquantibus; coloris ut plurimum albi atque cinerei nigricantis, nonnullis etiam rubri viridisque: genus marmoris, ut existimat celeberrimus ævi nostri Plinius JACSCHEVCHZERVS, Helvetici in vicinis Legerii jugis atque in ipsis etiam pagis obvii: integram ejus faciem dabit Tab. I. Neque vero istud pavimentum primum est in Helvetia erutum; numerantur VI. diversa hujus generis opera, antiqui luxus documenta; prope Augustam Rauracorum, Agauni,

Agauni, Eberoduni & Aventici tria hodie adhuc viſuntur, de quibus conſuli meretur Ampliſſ. Vir MARQ. WILDIVS *in Apolog. pro Aventic. p.* 178. *ſeqq. pag.* item 194. ſeqq. Quibus & noſtrum iſtud ſupplementi loco accedit. Uſus vero horum pavimentorum erat promiſcuus in ædibus tam publicis, quam privatis, in Templis, Palatiis, Oecis, Porticibus, Thermis, Mauſoleis; in plateis urbium, in viis publicis per Italiam, in area ſeu cavis ædium, in contignationibus, in tectis &c. Quod monendum cenſeo, quoniam nonnullos ei inhærere opinioni video, quaſi hujus generis Lithoſtrota nonniſi ad Tribunalia; in Thermis, in Templis & Mauſoleis ſtrata fuiſſent: qua opinione decepti, quæcunque pavimenta antiqua ad hæc ædificiorum genera tanquam ad ſuas referunt claſſes.

§. XII.

Verum pavimentum illud nos ultra non morabitur. Pergo nunc bonis avibus ad reliqua monumenta & antiquam illam ſuppellectilem omnem excutiendam. Et primo quidem dignæ ſunt animadverſione mœnium ædificiorumque ruinæ inſignes, tum circa pavimentum, tum aliis in locis erutæ.

erutæ. Et quidem circa pavimentum effoſſæ muri alicujus in curvitate ſeſe flectentis ruinæ: Ara quin etiam, ad cujus pedem teſtaceus canalis, ſacra quoque inſtrumenta ſunt effoſſa. Loco autem C. plus minus pedum intervallo a pavimento diſſito detecta vaſtiſſimi ædificii rudera, cujus pars areæ marmoreis tabulis oblongis, atque ex Alabaſtro ſtrata erat: Ad iſtum præterea locum, ut conjiciunt Eruditi Viri ſudarii focus eſt erutus, cujus figuram oculis ſubjicio fidelibus, ut deſcribendi laborem ſubterfugerem. † †

Exhi-

Exhibet Clariſſ. *Bonanni* in *Muſæo Kircheriano Tab. LI. 5.* Tubum ejusmodi teſtaceum, qualeis in hac figura parietibus incluſos conſpicis: Ad eum ſic commentatur. *Claſſe. V. p.* 162. „ Sciunt eruditi varias fuiſſe cellas in thermis, quæ ab igne „ caleſiebant, licet dubitetur, qua in parte „ earum ignem fovere veteres conſueverint; an ad latus Caldariis fornax eſſet, „ an vero ipſis ſubjaceret. Sæpe laudatus „ *Scacchus Myroth. I. cap.* 26, aſſerit calorem cellas omnes ſuscepiſſe ab hypocauſto; hypocauſtum autem fuiſſe Vaporarium, ſeu furnum ſive caminum ignis, „ unde balneum calebat, vel potius locum „ concameratum & fornicatum, habentem „ ante præfurnium, in quo, igne appoſito, „ ille calebat, ex quo deinde cellæ omnes „ Thermarum calorem hauriebant, quod „ hypocauſtum, ait, ſubjacuiſſe cæteris cellis. De fabrica balnei loquens *Plinius* „ *Lib. V. Epiſt.* ad Apollinarem nominat „ hypocauſtum, dicens: *Cubiculum hyeme* „ *tepidiſſimum, quia plurimo ſole perfunditur,* „ *coharet hypocauſto & ſi dies nubilus immiſ-* „ *ſo vapore, Solis vicem ſupplet, hoc eſt tepo-* „ *rem illi affert.* Erat ergo modus talem „ calorem immittendi, cum opus eſſet, & tan-

Exhibet Clariſſ. *Bonanni* in *Muſæo Kircheriano Tab. LI. 5.* Tubum eiusmodi teſta-

„ calorem immittendi, cum opus eſſet, &

tan-



tantus excitabatur calor in cella ſupra hypocauſtum conſtructa, quantum deſiderarent hi, qui in cellis detinebantur, vel unctionis, vel ſudationis cauſa. Hanc varietatem caloris, ut veteres obtinerent per quosdam tubos, & canales intra parietes ipſos collocatos, calorem ad cellas ex hypocauſto transmittere ſolebant. Teſtatur hæc *Seneca Epiſt. XC.* loquens de Thermis: *Et impreſſos parietibus tubos, qui ima ſimul & ſumma foverent æquiter.* Et hæc Bonanni aſſerta mire confirmantur ab ipſis monumentis noſtris.

Accedunt inſuper ad hactenus recenſitorum monumentorum numerum, varii generis inſtrumenta --, quæ ſubjuncta tabula refert: ea vero ſunt,

A. A. Cultri ferrei duo, rubigine, longo annorum ſpatio ſub ruderibus contracta, exeſi; quos in ſacrificiis victimarum adhibitos fuiſſe, nullus dubitare poteſt, cum inter antiquorum operum rudera & ad pedem aræ reperta fuerint. Diverſam illi formam habent, ad diverſum uſum compacti: neque enim omnia eodem cultro perfici poterant, quæ in ſacrificiis peragebantur: alii pro jugulandis victimis, alii pro iis diſſecandis, excoriandisque requirebantur. Merentur

rentur autem Clotenſes illæ noſtræ Seceſpitæ eo potiſſimum nomine ſingularem adtentionem, quod figura differant ab aliis, quas hactenus ex antiquis monumentis eruerunt Antiquitatis ſtudioſi Viri, & quarum figuras habent *Choulius* p. 250. exque eo *Saubertus de Sacrific. ad cap. XVII. Jo. Bapt. Caſalius de veteri Rom. Relig. Mich. Ang. Cauſeus Rom. Muſei. tabula 7. &c.* Mirum autem non eſt ſacra hæc inſtrumenta, ut materia ex qua conſtabant, ita & forma ſæpiſſime pro ratione loci, temporis artificumque fuiſſe diſtincta; in quo nos dubitare non ſinunt antiqua monumenta hactenus eruta, ſi inter invicem attente componamus.

B. - Parvum ex ære cochleare, elegantiſſimo vernice nitidum; cujus in ſacris uſus, utpote quod ad aram effoſſum. Figuram exhibet quoque *Cauſæus tab. 7. ſect. 3.* hoc ſub titulo: *Cochlear, quo thus ex acerra ſumebatur.* Fateor quidem nullum ex antiquis Auctoribus meminiſſe cochlearis hunc in uſum adhibiti: imo conſtat thus ſummis quandoque digitis, manu ergo non armata, ex acerra ſumere fuiſſe ſolitos antiquos. Verum ego in iis, quæ hanc in rem erudite commentatur Clariſſ. *Bonanni Muſ. Kircher. Claſſ. I. p. 10. ſeqq.* acquieſco.

C. - Aliud

C. - Aliud inſtrumentum ſacrum itidem ad Aram cum aliis ejusdem formæ repertum, veru mihi eſt, cujus uſus in ſacris ad torrenda exta. *Virgil.* Lib. II. *Georg.*

Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis.

Plautus quoque in *Rudent. Act. I. Sc. 2.*

Non hercle adoleſcens jam hos dies compluſculos
Quenquam iſtic vidi ſacruficare: neque poteſt
Clam me eſſe; ſi qui ſacruficant: ſemper petunt
Aquam hinc, aut ignem, aut vaſcula, aut cultrum, aut veru,
Aut aulam extarem, aut aliquid - -

Obſerva omnem hanc ſacram ſuppellectilem ad pagum Cloten erutam. Extarem enim quod adtinet, in quo exta coquebantur, conſtans fama eſt, apud homines etiam fide dignos luſtro abhinc talem ſupra memorato loco a ruſticis eſſe erutum æneum, quem vero auro mutarunt, callidi quo valeat nummus, quem præbeat uſum. Re-

deo ad vertua, quæ juxta Sauberti fidem erant ὀβολοι & πεμπωβολα inſtar craticulæ, quaſi cuſpides plures connexæ, quibus exta adfigebantur & flamma exurebantur. Conſule ſis *Stuckium* noſtratem *Libr. de Sacrific. fol.* 146. Figuram ſimilis plane inſtrumenti exhibet *Bonanni Muſæ. Kirch. Claſſ. I. Tab. IV.* 6.

D. - Clavis antiqua, de qua videſis *Salmaſium* in *Exerc. Plin.*, *Begerum in Theſ. Brandeb. Vol. III. p.* 423. *Bonanni* in *Muſæo Kirch. Claſſ. V. Tab. IV.* 3. 4. 5. 6.

E. - Incus chalybea, non multo abhinc tempore eruta.

Denique fragmenta Vaſorum omnis generis, qualia antiquiſſimo nomine fictilia nuncupata ſunt; eorum frequens ad ſacra facienda uſus; varia eorum forma inde & nomina: Patellæ memorantur, Salina, Tripodes, Cortinæ, Gutti, Sympuvia, Mellaria. &c. &c. Fragmenta noſtra e terra omnia: ea temporibus antiquiſſimis in Sacris adhibita teſte *Tibullo* I. 1. quo alludit *Perſius* noſter *Sat. II.* his verſibus

Aurum


pag. 34.
D
pag 34.
E
B
pag. 32.
C
pag 33

Aurum, vaſa Numæ, Saturniaque impulit æra,
Veſtalesque urnas & Thuſcum fictile mutat;
O curvæ in terras *animæ, cœleſtium inanes!*
Quid juvat hos *templis noſtros immittere mores?*

quos hunc in modum eſſe legendos, ad h. l. doceo pluribus in commentariis, quos molior ad Perſii Satirarum librum. Iſta inter fictilium fragmina reperiuntur, quæ ſummam artem ſapiunt: quorum in cenſum refero fragmentum vaſis cinerei coloris guttulis albis argenteisque variegatum.

§. XIII.

Accedimus ad Litterata Antiquitatis monumenta: Sunt iſta nimirum duplicis generis; Teſtacea alia, alia Aerea: hæc ad nummariam ſuppellectilem; in Inſcriptionum cenſum illa referenda. Utraque nunc curatius inſpiciemus, & ad trutinam moris antiqui caſtigabimus. Et lapides quidem litteratos quod adtinet, quos ad examen vocare animus eſt, ex figlino opere ſunt omnes, numero LXX. quorum

tamen Scriptura non in ſingulis variat, plurimi iisdem notati characteribus. Mentionem faciunt alii Legionis XI. alii XXI. Prioris generis Lapides ita habent : F.

Reſtant præterea hujus Inſcriptionis fragmenta duo ; in quorum altero hæ ſuperſunt litteræ - - - ICPF. in altero vero - - - CPF. Quod vero quidam perhibent, quaſi extaret, quæ XI. Legionis mentionem faciat Inſcriptio additis his litteris : S. C. VI. in eo omnino falluntur, decepti fragmento figlini, quod ad alterum genus lapidum pertinet, qui XXI. Legionem memorant, ut cuivis liquet cum integris eam, qui præſto ſunt lapidibus componenti ; ſiquidem litteræ in prioris generis lapidibus quaſi exſculptæ eſſent in lateris ſuperficie eminent, in reliquis vero quaſi inciſæ viſuntur.

§. XIV.

pag. 36.

F LEGXICPF

pag. 49.

G LXXI·S·CVI

pag. 49.

H L·XXI

pag. 50.

I LXXIC·

pag. 52.

K L·XXIS

pag. 55.

L

pag. 56.

M

§. XIV.

Antequam ad ſpecialem Inſcriptionis hujus expoſitionem deſcendo, præmonenda erunt nonnulla de Legionibus in genere: Earum hiſtoriam texit Illuſtris Vir Ezech. SPANHEMIVS in opere de *Præſt. & Uſu Numism. Tom. II. p.* 231. „ Fœdere „ Mutinenſi inter Triumviros Antonium, „ octavium ac Lepidum inito, Legionum „ numerum ad XLIII. adſcendiſſe tradit „ *Appianus*, e quibus illæ, acciſo dein ea- „ rum numero ad XXVIII. poſt Philippen- „ ſem victoriam ſunt redactæ. Ex iis „ XXIII. Legionum nomina juxta Erudi- „ tiſſimum *Fulvium*, & cui adſtipulatur „ celebris Antiquarius, in nummis con- „ ſpiciuntur. Equidem quo ſub Auguſto „ dein XXIII. ſimiliter, aut juxta alios „ XXV. Legiones ali ſolitas tradit duobus „ locis *Dio Lib. LV. p.* 564. Εἶτ' οὖν τρία, „ εἴτε πέντε καὶ εἴκοσιν ὄντα, & e quibus, quod „ paulo ante dixerat, XIX. tantum ſua „ ætate ſuppereſſent, quarum nomina ac „ ſitum, ubi illæ agerent, ibidem indicat „ *Dio*. Hactenus ille. Dabo integrum Dio- „ nis locum, qui unicus eſt in hoc genere, paſ- ſim omnibus citatus, neque tamen probe ha- ctenus intellectus: Ejus verba ſunt: Τὸ τε δευ-

τερον το Αὐγυστειον, το ἐν Βρεττανια τη ἀνω χειμαζων. Και τα τρια τα τριτα, το τε ἐν Φοινικη, το Γαλατικον: και το ἐν Ἀραβια, το Κυρηναικον: Το τε ἐν Νομιδια, το Αὐγυστειον· Τεταρτον Συριακον ἐν Συρια Πεμπτον Μακεδονικον ἐν Δακια. Ἑκκαιδυο, ὡν το μεν ἐν Βρεττανια τη κατω, το των Νικητορων, το δε ἐν Ἰουδαια, το Σιδηρουν τεταχται. Και οἱ ἑβδομοι, οἱ ἐν τη Μυσια τη ἀνω, οἱ και τα μαλιστα Κλαυδιειοι ὀνομαζονται. Οἱ δε ὀγδοοι Αὐγυστειοι, ἐν τη Γερμανια, τη ἀνω ὀντες. Και οἱ δεκατοι, οἱ τε ἐν τη Παννονια τη ἀνω, οἱ Διδυμοι, και οἱ ἐν Ἰουδαια. Τοτε ἑνδεκατον, το ἐν Μυσια τη κατω &c. — και το δωδεκατον, το ἐν Καππαδοκια, το κεραυνοφορον. Το τε τριτον και δεκατον, το ἐν Δακια, το Διδυμον. Και το τεταρτον και δεκατον, το ἐν τη Παννονια τη κατω, το Διδυμον. Το τε πεντεκαιδεκατον, το Ἀπολλωνειον, το ἐν Καππαδοκια: και οἱ εἰκοσοι, οἱ και Ὀυαλεριειοι και Νικητορες ὠνομασμενοι, και ἐν Βρεττανια τη ἀνω ὀντες, οὐς τινας αὐτους, ἐμοιδοκειν, μετα των, τηυ τε τε εἰκοσε ἐπωνυμιαν ἐχοντων, και ἐν τη Γερμανια τη ἀνω χειμαζοντων, εἰ και τα μαλιστα μηδ' ὑφ' ἁπαντων Ὀυαλεριειοι ἐπεκληθησαν, μη τε νυν ἐτι τη προσηγορια ταυτη χρωνται, παραλαβων ἐτηρησα, hoc eſt.

LEG. II. Auguſta, quæ in ſuperiore Brittania hibernat.

LEG. III. tres: quarum una in Phœnice, Gallica cognomento; altera in Arabia, Cyrenaica; tertia in Numidia, Auguſta.

LEG. IV. Scythica in Syria.

LEG.

LEG. V. Macedonica in Dacia.
LEG. VI. duæ, quarum una in Brittannia inferiore, cognomento Victrix; altera in Judæa, Ferrea.
LEG. VII. in Myſia ſuperiore, quæ plurimum Claudia dicitur.
LEG. VIII. Auguſta, in Germania ſuperiore.
LEG. X. In Pannonia ſuperiore, Gemina, ut & in Judæa.
LEG. XI. In Myſia inferiore, Claudia, &c.
LEG. XII. In Cappadocia, Fulminatrix.
LEG. XIII. In Dacia, Gemina.
LEG. XIV. In Pannonia, Gemina.
LEG. XV. Apollinea, in Cappadocia.
LEG. XX. Victrix & Valeriana, in Brittania ſuperiore.

Ætate Alexandri Severi, ſub quo vixit Dio, hæ reliquæ erant Legiones ab Auguſto delectæ: ſunt autem numero XIX. Νυν γαρ, inquit Dio, ἐννεα και δεκα ἐξ αὐτων μονα διαμενει: quem numerum qua ratione inveniamus, haud adeo proclive eſt dictu: Tentavit quædam IVST. LIPSIVS in *Analect. ad Milit. Rom. Dial. V. pag.* 419. 423. Et vertit quidem hæc Dionis verba? Και οἱ δεκατοι, οἱ τε ἐν τη Παννονια τη ἀνω, οἱ Δεδυμοι, και οἱ ἐν Ιουδαια, iſtum in modum: *Decima in*

Pannonia ſuperiore, dicta Gemina, atque altera decima in Judæa. Ut vero rotundum Dionis numerum impleret, non dubitavit vel ipſi textui græco vim inferre: ita enim adnotat ad ultima Dionis verba a nobis citata: Hæc confuſa valde in Græco, imo & corrupta ſunt. „ Verba nunc ſonant, „ eandem illam vigeſimam eſſe cum ſuperiore: quod falſum eſt. Nec ſic XIX. Legiones Auguſteas feceris Dioni antea aſſertum, ſed XVIII. tantum. Adde quod „ hibernis diverſæ cum fuerint, ipſas „ oportuit divertiſſe. Græcis igitur negatio immittenda eſt, ſi quis id curat. Infauſto, me judice, omine, quod ſolvere nequit, ſecat. Aliam ego prorſus viam ineo atque adfirmo in Dione pro ἐννεακαιδεκα eſſe ſubſtituendum ἑπτακαιδεκα: frequentiores lapſus in numeris, ut vel in pueros notum eſt: neque ſi ad calculum ſedeamus, plures quam XVII. Legiones ex hoc Dionis numero extricare poſſumus. Vanus eſt Lipſius ſua cum illa translatione: Textus græcus nihil de binis X. Legionibus, ita reddendus: *Decima Legionis, Geminæ dictæ, milites agunt & in Pannonia ſuperiore, & in Iudæa.* Neque contra Romanorum morem tantis intervallis diviſa hæc Legio, abunde

abunde id docent litterati lapides : ut norunt omnes, qui vel Gruterum, vel Sponium, quasi aliud agentes consuluere. Neque cuiquam videbitur mirum voculas οἱ τε, καὶ οἱ, per *et*, *et* ; *tum*, *tum* ; exponi, Grammaticis id passim inculcantibus. Ut taceam Dionem in ambiguis vocibus ludere minime, dixit και τα τρια τα τριτα. item ἑκατα δυο : Quid obstitit, quominus mentem suam, cum de X. ageretur Legione claris exponeret verbis ? Audaculus vero est Lipsius textum Dionis sollicitans, atque ita detorquens, ut quæ modo affirmasset, protinus illata negatione tolleret. Respuunt hanc medelam ista potissimum Dionis verba : Εἰ και τα μαλιστα μηδ' ὑφ' ἁπαντων οὐαλερειοι ἐπεκληθησαν, μητε νυν ἐτι τη προσηγορια ταυτη χρωνται : ita reddenda : *Etsi quod potissimum est*, *neque omnibus Valeria dicta*, *neque nunc eo cognomine utitur* ; tamen eadem mihi videtur esse cum illa, quæ in Germania superiore hiemat, eodem XX. Legionis nomine clara. Nullus heic negationi locus. Valeat proinde Lipsius cum suo isto commento.

§ XV.

Persequitur *Dio* loco cit. Legionum,

quæ deinceps a Principibus conſcriptæ ſunt Hiſtoriam : Nos latina tantum dabimus :

NERO ſcripſit LEG. I. Italicam dictam, in inferiore Myſia hiemantem.

GALBA, LEG. I. Adjutricem, in Pannonia inferiore.
LEG. VII. quæ in Hiſpania.

VESPASIANVS, LEG. II. Adjutricem, in Pannonia inferiore.
LEG. IV. Flaviam, in Syria.

DOMITIANVS, LEG. I. Minerviam, in Germania inferiore.

TRAJANVS, LEG. II. Ægyptiacam.
LEG. XXX. Germanicam. Utrique a ſuo nomine nomen indidit ; utpote quas VLPIAS agnominavit, ut docent

cent nummi antiqui.

M. ANTONINVS ſcripſit LEG. II. in Norico.

LEG. III. in Rhoetia; quæ etiam Italicæ nuncupantur.

SEVERVS, LEG. I. & III. Parthicas, in Meſopotamia.

LEG. II. in Italia.

Præter ea vero, quæ ex Dione hactenus excerpſimus, conſtat Adrianum Legiones XXX. aluiſſe: Colligitur hoc ex feſtivo illo Favorini reſponſo, viri ſuo ſeculo doctiſſimi, qui cum verbum ejus quoddam ab Adriano reprehenſum eſſet, atque ille cederet Principi de verbo, quod idonei auctores uſurpaſſent, riſum jucundiſſimum movit, dicens: *Non recte ſuadetis amici, qui non patimini me illum doctiorem omnibus credere, qui habet XXX. Legiones.* teſtis *Æl. Spartianus* in ejus vita. Inſuper in M. Antonii denariis ſignatum usque ad XXIII. Legionum numerum videmus; ita in Severi & Galieni nummis plurium itidem

dem leguntur Legg. Romanarum nomina, & quidem in Severi LEG. XXX. VLP. ac in Inſcriptionibus itidem antiquis tum Gruterianis, tum apud Sponium.

§. XVI.

Inſigniebantur Legiones Romanæ variis nominibus, maxime ab ordine delectuum, nomine *Primæ*, *Secundæ*, *Tertiæ* &c. vel a DIs, ut *Minervia*, *Apollinaris* &c. vel e Domo Auguſta ac Impp. nominibus, ut *Auguſta*, *Claudia*, *Flavia*, *Vlpia* &c. vel e regionibus ad quarum tutelam erant miſſæ, ut *Arabica*, *Cyrenaica*, *Italica*, *Germanica* &c. appellationibus etiam aliunde deſumtis, ut *Adjutricis*, *Antiquæ*, *Felicis*, *Geminæ*, *Primigeniæ*, *Victricis*. His præmiſſis, accedimus ad explicandam Inſcriptionem noſtram. Ea hunc in modum legenda: LEGIO XI. CLAVDIA. PIA. FIDELIS. Memorat eam his agnominibus ornatam DIO. *Lib. LV. p.* 564. Οὕτω γαρ τα δυο στρατοπεδα ἀπο τε Κλαυδιε ἐπεκληθη, ὁτι ἀυτω ἐν τη του Καμιλλου ἐπαναστασει μη ἀντεπολεμησε. *Hæ duæ Legiones* VII. &. XI. *a Claudio ſunt cognominatæ, quod adverſus eum in Seditione Camilli non rebellaſſent. Libr.* quoque *LX.* refert Claudium, quod pro eo contra Annium Vinicianum & Furium Camillum Scri-

Scribonianum Dalmatiæ Præfectum in fide permanſerint, effeciſſe, ut S. C. Legg. VII. & XI. Claudiæ, Piæ & Fideles nuncuparentur; ejus verba ſunt: Κλαυδιος δε τεως μεν παντα κατεδειδεν, ὡστε και ἑθελοντης ἑτοιμως ἐχειν τα κρατη αὐτω ἐκχηναι: τοτε δε ἀναθαρσησας, τας μεν χρατωτας ἀλλοις τε τισιν ἠμειψατο και το τα πολιτικα αὐτων χρατοπεδα, το, τε ἑβδομον και το ἑνδεκατον, και Κλαυδιεια, πιζα, και εὐσεβη, και προς της βελης ὀνομαδηναι. His paſſim in lapidibus titulis ornata occurrit.

§. XVII.

Legio hæc XI. ſedem habuit hibernam Vindoniſſæ, ut nos, vel tacentibus omnibus antiquis Annalium Scriptoribus, docent bini Lapides Litterati, quorum alter inter arcis Altenburgi prope Vindoniſſam reliquias cernitur, ſicut refert *Guillimannus p.* 25. & *Ruſſingerus*, exque iis *Plantinus* in *Deſcript. Loc. Helv. Antiq. pag.* 278.

L. VEGNATIO
POL. MAXIMO. DO.
FOR. COR. MIL. LEG.
XI. G.P.F. GVSORIVS
ANN. XLVIII. STIP. XX.
H.S.E.
G. ROSCIVS OMPHA
LVS. HER. FAC. CVR.

Exhibet

Exhibet eam quoque *Teſudius* in opere MSC. cui titulus *Antiqq. Helvet. p.* 106. legitque pro *Vegnatio*, *Vecnatio*; pro *Ann. Anno.* pro *fac. phac.* &c. Eam autem hunc in modum exponit: *Lucio Vecnatio e Pollia tribu, maximo Domus Fori Cornelii Militi Legionis XI. Geminæ, Piæ, Fidelis; Guſorio* (ita enim legit) *annorum XLVIII. ſtipendiorum XX. Hoc ſignum erectum, Gajus Roſcius Omphalus hæres faciundum curavit.* Alter Lapis ad ædem Sacram *zu Gebiſtorff*, qui locus in antiquis Diplomatibus GABINII VICVS dicitur, (ut me monuit Vir Eruditus & Amicus meus JO. GEORG. ALTMANNVS) hodie adhuc viſitur: Referunt eum *Guillimannus in Habsp.* exque eo *Plantinus.* p. 285. optime tamen *Gruterus* in *Theſ. Inſcript. pag.* DLI. 10. quem *Stuckio* noſtrati acceptum refert. Is ita habet:

M. MAGIVS. M. F. POB. MAC.
CAIVS. VERONA. MIL. LEG. XI. G.P.F.
MARCI. MODESTI. ANNO. XXXIII.
EX. TESTAMENTO. H. F. C.
LENNIVS SECVNDVS
Q. ROMANVS. VERECVNDVS.
H. S. E.

Extat

Extat Inſcriptio iſta hodie adhuc, ſed Litterarum ductibus a male feriato quodam atque cerrito homuncione miſere deturpatis atque corruptis, atro inſuper liquore inductis, ut me docuit Eruditus Amicus & in hoc ſtudiorum genere perſpicax GASP. HAGENBUCHIVS, qui eandem uti hodie legitur exſcripſit, atque mecum communicavit: Ea vero hodierna ejus facies eſt:

M. MALIVS. MI. OB. MAL.
C. AVS. VERONA. MIL. LEG. XI. G P F.
MARCI. &c. reliqua conveniunt.

Dignum vero eſt animadverſione. XI. Legionem GEMINAM. dici in utraque inſcriptione: Omnes enim, qui eas recenſent, auctores, *Guillimannus*, *Ruſſingerus*, *Plantinus*, *Graterus* G. pro C. conſtanter exhibent: quod ex mea tamen ſententia in errore cubat, & C. omnino loco ſuo, unde incuria exſcribentium motum eſt, erit reſtituendum: De poſteriore Inſcriptione teſtatur Amicus Ἀυτοπτης, eam C. Litteram diſtincte exprimere: Quin etiam ex *Dione* probo Legionem XI. ad Severi usque tempora Geminæ epitheto nuncupatam non fuiſſe.

fuiſſe. *Dio* memorat ſingulas illas Legiones ab Auguſto ſcriptas, quæ ævo ſuo reliquæ erant, in earum numero eſt quoque ἐνδέκατον ΣΤρατοπεδον, το ἐν Μυσια τη καλω. De iis affirmat: Ταυτ' ἐκ των Α'υγυςειων ςρατοπεδων σωζεται. Τα γαρ δη λοιπα, τα μεν παντελως διελυθη, τα δε και ἑτεροις τισιν ὑποτεθεντα ἐκεινα και ὑπ' ἀλλων Α'υτοκρατορων ἀπεμιχθη, ἀφ' ὑπερ και Διδυμα ὠνομασμενα νενομιςαι. *Hæ Legiones Auguſti ſuperſunt; reliquis aut penitus diſſipatis, aut ab Auguſto ipſo & aliis Imperatoribus inter ceteras Legiones admixtis unde geminarum appellatio tracta putatur.* Unde liquido conſtat, in omnibus aliis Inſcriptionibus, quæ XI. Legionis mentionem injiciunt, atque Dionis ævum antecedunt C. pro G. reſtituendum eſſe. Verum addo binis his Inſcriptionibus tertiam hactenus ineditam, Vindoniſſæ pronuper repertam, quæ & ipſa XI. Legionis meminit: Eam pro ſua in me voluntate mecum communicavit ſupra laudatus Celeberrimus SCHEVCHZERVS, cujus exemplar ſic habet:

L. TI-

L. TITENNIVS L. F.
LEMONIA. VIC
TROINVS. BON.
MIL. LEG. XI. C. P. F.
VALERIANA.
ANNOR. XXV.
STIPENDIOR. LVI.
H. T. F. C.

§. XVIII.

Pergimus ad alteram Inſcriptionum Claſſem, quæ XXI. Legionem memorant. G.

Quinque alia figlinorum fragmenta hanc ipſam ſcripturam, plus mutilam tamen, referunt. In tribus vero integris legitur hunc in modum: H.

In obſcuro eſt, quid Litteræ illæ S. C. VI. ſibi velint: Sunt, qui explicant de Senatus Conſulto, quo *Victricis*, vel *Vitelliana*, vel *Vindoniſſe* nomine fuerit inſignita XXI. Legio: quibus tamen ego calculum meum non addo: Abſonum eſt dicere, Legionem Senatus-Conſulto *Vitellianam*, vel *Vindoniſſam* nuncupatam eſſe. Ego in omnia alia eo, atque Litteras illas S. C. de Senatus Conſulto minime eſſe interpretandas doceo: Primo enim mihi velim unico probetur exemplo, in Lapidibus, ſive nummis etiam unquam litteris deſignatum fuiſſe, qua Auctoritate Legionibus nomina fuerint addita: Quæro inſuper, quî fuerit factum, ut conſtans apud Romanæ Hiſtoriæ Scriptores ſilentium de ejusmodi Senatus Decreto, quod Leg. XXI. ſplendido Victricis titulo ornaverit? memorant Annales alterum illud Conſultum, quo XI. Legio piæ & fidelis cognomine donata eſt: frequens etiam illius Legionis in Saxis nummisve mentio, absque ulla tamen Senatus Conſ. ſignificatione: Et quid verbis opus eſt? omnem rem evinco ex duobus Lapidibus eodem loci erutis: Quatuor integri hunc in modum legunt, I.

unicus

Unicus vero ita habet, K.

Unde liquet litteras S. C. in priore illa inſcriptione aliud quid ſibi velle, quam homines iſti ſibi fingunt. Nos nulli dubitamus genuinum Inſcriptionis ſenſum hunc eſſe: LEGIO XXI. SEPTIMIA vel SEVERIANA CONSTANS VICTRIX. Docet GOLZIUS, in *Theſ. Rei Antiq. Opp. Tom. I. p.* 155. Legionem XXI. in antiquis monumentis SEPTIMIAM PIAM FIDELEM nuncupari: quin etiam in Septimii Severi nummis Legionis hujus extare mentionem, teſtis eſt omni exceptione major BEGERVS in *Theſaur. Brandenb.* quem videſis.

§. XIX.

Huic autem Legioni ſedes erat hiberna Vindoniſſæ: quantum quidem ex *Tacito C.* colligimus: *Hiſt. lib. IV.* 70. *Atque interim una & viceſima Legio, Vindoniſſa; Sextilius Felix cum auxiliariis copiis per Rhoetiam irrupere,* & *cap.* 61. *Cohortium, alarum, Legionum hiberna ſubverſa, iis tantum relictis, quæ Mogontiaci ac Vindoniſſæ ſita ſunt.* Confirmor in hac penitus opinione, dum cogito antiquam Inſcriptionem, quæ hodie adhuc in muro ædium Paſtoris Gabiniovicenſis conſpicitur: Ejus exemplum dabo a ſupra laudato Amico meo exſcriptum;

- - - CLAVDIO PIMNO
MEDICO LEG. XXI.
CLAVDIAE QVIETAE EIVS
ATTICVS PATRONVS.

§. XX.

In genere vero de Romanis Legionibus obſervandum eſt, earum ſedes, numerum atque nomina pro Imperatorum voluntate ſæpius eſſe mutata: Valet hic, quod *C. Tacitus Lib. IV. cap.* 5. de cohortibus habet; qui poſtquam curſim Legionum

num numerum, quasque tutarentur provincias : percensuisset, addit: *Sed persequi incertum fuerit, cum ex usu temporis huc illuc mearent, glisscrent numero, & aliquando minuerentur.* Nullius ferme ponderis atque momenti sunt illa, quæ Annalium atque Historiarum Libri de hujus generis mutationibus referunt : Quare ad Litterata monumenta est recurrendum, quæ affatim supplent Legionum Historiam. Proinde operæ pretium erit, ex litteratis lapidibus earum Legionum nomina atque seriem paucis describere, quæ in Helvetia diversis ætatibus consederunt.

LEG. II. ex Inscriptione Genevensi ap. *Sponium* in *Hist.* Urbis illius, gallico idiomate conscripta. *p.* 338.

LEG. IV. MACEDONICA. Sub Tiberio. Ex Inscr. Villariæ eruta, quam habet V. Cl. *Marq. Wildius* in *Apologia pro Aventico. p.* 239.

LEG. VI. VICTRIX. Lapis Genev. ap. *Sponium Lib. cit. p.* 318.

LEG. VI. FIRMA. Sub Nerva Trajano. Ex Lapide Aventicensi ap. *Wildium.* p. 73. & 216.

LEG. VIII. AVG. Ap. *Sponium* p. 356. in Inscr. Genevensi.

LEG. X. apud eundem p. 342.

LEG. XI. C. P. F. In diverſis occurrit lapidibus, quos §. XVII. notavimus.

LEG. XIII. In Inſcript. Genev. apud *Sponium.* p. 373.

LEG. XIII. GEMINA. Certiaci in lapide; exhibet eam *Tſchudius in MS. opere de Antiqq. Helveticis.*

LEG. XVI. FLAVIA FIRMA. Sub Nerva Trajano. ap. *Wildium*, *p.* 73. 216. ex Lapide Aventicenſi.

LEC. XXI. Mentionem ejus faciunt Lapides, quos §. præcedenti exhibemus.

LEG. XXII. Ex Genevenſi monumento ap. *Sponium. p.* 387.

LEG. XXII. ANTONINIANA. Sub Antonino. Extat Saloduri. refert eam *Tſchudius* in opere cit. MS.

Reſtat id unum notandum in hoc argumento, Legionum nomina in figlinis noſtris ſignata occurrere eam ob rationem, quod ad exſtruenda ædificia iſthæc caſtrenſia militum opera paſſim adhibita fuerit, uti pluribus docet eruditiſſimus *Bergierius*, & me monuit Vir πολυμαθεςατος J. CHR. JESELIVS

LIVS, *S. Theol. in inclyta Basileensium Academia Doctor*, Litteris ad me datis.

§. XXI.

Accedo ad alterum genus litteratorum monumentorum, nummos puta, quos succincte hac Thesi exponere animus est. I. frequens est mediæ magnitudinis nummus ex ære flavo nigricante, qui exhibet Angusti Cæsaris & M. Agrippæ aversa mutuo capita, laureatum alterum, alterum absque laurea, cum hac epigraphe: IMP. DIVI F. In postica autem parte crocodilum, animal Nilo familiare, palmæ arbori alligatum. Signavit illum Colonia Galliæ Narbonensis NEMAVSVS utriusque Principis honori post Ægyptum captam. II. itidem medii moduli æreus. Marc. Aur. Antonini Philosophi caput laureatum exhibens: In cujus aversa Salus conspicitur Dea. L.

III. argenteus eſt minimi moduli, referens caput M. Aur. Antonini Elagabali; M.

altera vero ejus facies ſiſtit Victoriam gradientem; additis lunæ falcatæ ſolisque incunculis; quibus latini Elagabali nummi ab Antonini Caracallæ diſtinguuntur. IV. medii moduli ex ære vernice inductus, cujus anticam ornat caput Trajani cum hac inſcriptione: IMP. CAES. NERVAE TRAJANO AVG. GERM. DAC. P. M. TR. P. COS. VI.P. P. Averſam vero fluvii jacentis ſub fornice typus; circumſcribitur S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. SC AQVA TRAJANA. Eundem plane nummum exhibet *Begerus* in *Contin. Theſ. Brandenburgic. p.* 644. quo in loco eum perſpicue illuſtrat.

Diverſis quoque temporum ſpatiis ante detecta illa monumenta diverſi moduli ærisque nummi ad pagum *Cloten* ſunt eruti.

eruti.* Vidi ipſe nonnullos in Cimeliarchio Nobilis ZOLLERI, (cujus ſingularem in me Humanitatem atque in his Litteris perſpicaciam dignis efferre laudibus impar ſum.) Hos inter duos maxime notavi, Trajani alterum mediæ magnitudinis, cujus averſa refert figuram mœſtam ſcuto inſidentem, coram trophæo armorum Germanicorum: Alterum vero ejusdem magnitudinis Severi Alexandri nummum, in cujus poſtica conſpicitur figura ſedens dextra pateram, ſiniſtra haſtam præferens, cum hac epigraphe: IVSTITIA AVG. SC. Denique ſilentio non eſt premendus aureus minimi moduli Othonis nummus; in cujus antica circa caput Othonis legitur IMP M OTHO CAESAR AVG. in poſtica vero circa figuram ſtantem, quæ dextra ramum, ſiniſtra caduceum præfert PAX ORBIS TERRARVM, quam vane jactavit Otho, ut imperii ſui dulcedinem commendaret: Poſſidet elegantiſ-

 ſimum

* *Jac. Reutinerus* Sangallenſis in Diario ſuo manu exarato hujus rei fidem facit, inquiens: *Vadiano nummismata ultra 50. de CLOTA prope Tigurum miſſi, quæ ibidem effodiuntur plurima; quia decimas habet a Socero hæreditate acceptas ait Mattheus Altben, una parte imago Conſtantii patris illius Conſtantini Magni*, &c. &c.

ſimum hunc Nummum Vir Nobiliſſimus LVDOV. ESCHERVS, Magnificentiſſimi COS. Reip. Tig. Dom. JO. JACOBI ESCHERI ex Filio D. J. CASP. ESCHERO, Plebis Tribuno Spectatiſſimo, Nepos.

§. XXII.

Patria noſtra Hiſtoria in deſcribendis priſcorum ſeculorum eventibus loci illius ne quidem meminit, unde Romana, quæ hactenus illuſtravimus, monumenta in apricum ſunt producta: Ita ſi litteratis illis monumentis, Inſcriptionibus puta & nummis careremus, denſa caligine oppreſſi, quid de reliquis eſſet vel affirmandum, vel negandum, dubii eſſemus incertique, nec ullus niſi levibus quibusdam, forſitan & frivolis locus eſſet conjecturis: Ea vero cum ad manus ſint, facem nobis præferunt in definienda & antiquitate & uſu horum monumentorum. Et lapides quidem litteratos quod adtinet, nobis perſuadent Legiones quondam Romanas ibi locorum verſatas, Romanaque proin caſtra iſtic fuiſſe poſita: in qua opinione mire me confirmant & ſitus loci & reliqua monumenta. Id quod pluribus exequi nunc animus

animus eſt. Romani quamvis in locis ſolerter capiendis nihil intermitterent, non tantum idonea, ſed talia, quibus non darentur meliora eligentes: attamen in ſitu inacceſſo tantum non poſuerunt, quantum in certa ratione & compoſitione caſtrorum: *Hyginus* de *Caſtramet. Nunc quod adtinet ad ſoli electionem in ſtatuenda metatione, primum locum habent, quæ ex campo in eminentiam leniter attolluntur, in qua poſitione porta decumana eminentiſſimo loco conſtituitur, ut regiones caſtris ſubjaceant. Porta prætoria ſemper hoſtem ſpectare debet; Secundum locum habent, quæ in plano conſtituuntur: tertium, quæ in colle; quartum, quæ in monte: quintum, quæ in loco neceſſario, unde & caſtra neceſſaria dicuntur.* Id certe Romanis peculiare fuit, quod eadem ſemper & ubique forma caſtrorum, eademque metatione uteretur: Græci enim ut plurimum loca ſectabantur munita, non admodum de forma exteriori, aut compoſitione interiori ſolliciti, dum in tuto metarentur: longa, an lata; rotunda an ſemirotunda conſtituerentur, parum referre rati. De Romanis *Polybius*: Ἑνος ὑπαρχοντος παρ' αὐτοις θεωρηματος ἁπλου περι τας παρεμβολας, ὡ χρωνται προς παντα καιρον και τοπον:

τοπον : *Eſt autem apud illos una & ſimplex caſtra metandi ratio, qua omni tempore & loco utuntur.* Ita factum, ut ingreſſus in caſtra miles non ſecus ac ſi patrias ad ſedes, ſuamque in urbem perveniſſet, omnia cognita haberet ſtatim & perſpecta : non illum fugiebat, qua parte, qua ſtriga, quo tabernaculo tenderet, non quem locum in tumultu tueretur, quo auxilio adcurreret, quo in hoſtem educeretur. Loco ad caſtra ponenda delecto Prætorii ſedem vexillo deſignabant : *Polybius* in hanc rem : Τε κριθεντος ἀει τοπε προς στρατοπεδειαν, τετε τον ἐπιτηδειοτατον εἰς συνοψιν ἁμα και παραγγελιαν, ἡ τε στρατηγου σκηνη καταλαμβανει. &c. *Quoties locus caſtris captus eſt, partem illam, quæ ad proſpiciendum & dandum mandata fuerit commodiſſima, Prætorium occupat. Vexillo autem poſito, ubi id defixuri ſunt, ſpatium quadratum circa id vexillum menſura ita definitur, ut ab eo latera omnia C. diſtent pedes ; totaque area fiat jugerum IV.* Id quoque obſervabant, ut in loco, in quo ponere caſtra vellent, vivæ aquæ non eſſet penuria : præcipit *Hyginus de Caſtramet. Cæterum quocunque latere flumen ſive fontem habere debent in qualicunque poſitione.* Et *Polybius.* Τετε δε τε χημαλος ἀει παρα μιαν ἐπι-

ἐπιφανειαν και πλευραν, ἡτις ἀν ἐπιτηδειοτατη φανη προς τε τας ὑδρειας και προγαμος, παραβαλλεται τα Ρωμαικα ΣΤρατοπεδα τον τροπον τουτον. *Ad unum semper figuræ hujus adspectum ac latus, quod aquationibus & pabulationibus opportunissimum visum fuerit, Romanæ Legiones isto modo collocantur.* Optime ista omnia in locum illum, ubi monumenta hæc eruta sunt, conspirant: nimirum spatiosissimus est campus, paululum ex planitie editus; ad cujus plagam orientalem loco ejus celsissimo atque leviter fastigiato pavimentum tessellatum stratum erat: ibi quoque perennes fontium scaturigines e stagno quasi ebulliunt.

§. XXIII.

Quis proin dubitet, Prætorium isto pavimento stratum fuisse? Prætorium seu tabernaculum τȣ στρατηγου inter cetera eminebat, ut in urbe Templum; id enim ad majestatem aliquam & vim Imperii faciebat. Teste *Josepho Lib. III. Excid.* Το στρατηγιον τω ναω παραπλησιον: *Prætorium templo simile.* ex mente *Lipsii* de *Milit. Rom. Lib. V. p.* 244. forma ejus superior erat rotunda, quod colligit ex *Varrone Lib. IV. de L. L. In cavædio si locus nullus relictus, sub divo qui esset, testudo dicebatur, a testudinis simili-*

ſimilitudine, ut eſt in PRAETORIO in caſtris. Significat, inquit Lipſius, teſtudinea forma id fuiſſe, curvatum in cameram rotundiorem. Memorat præterea *Hyginus: Aris inſtitutis in formam imæ; Auguratorium parte dextra prætorii ad viam principalem adponimus, ut dux in eo augurium recte capere poſſit: parte læva tribunal ſtatuitor, ut augurio accepto, inſuper aſcendat, & exercitum felici auſpicio adloquatur.* Tribunal Prætorio ſemper junctum, quin Lithoſtrotis ſæpe exornatum: Teſtis *Appianus* de *Bell. Civ. Lib. III. pag.* 173. agens de capite Trebonii, ad Dolabellam tunc Aſiæ præſidem delato: Δολαβελλας, ait, μεν αὐτην προσεταξεν, ἐπι του ϛρατηγικου βηματος, ἐνθα ὁ Τρεβωνιος ἐχρηματιζε, προτεθηναι: *Dolabella quidem ipſum* (ſc. Trebonii caput) *juſſit ſuper Proconſulari Tribunali, ubi Trebonius jus dixerat, proponi.* & paulo poſt de militibus ſubdit Trebonio iratis ob necem Cæſaris: Την κεφαλην (τρεβωνιε) οἱα σφαιραν ἐν ΛΙΘΟΣΤΡΩΤΩ διαβαλλοντες: *Caput Trebonii velut globum per Lithoſtrotum jactaſſe. Suetonius* etiam de Cæſare ſcribit, *in expeditionibus eum teſſellata & ſectilia pavimenta circumtuliſſe:* ſcilicet ut ſolum, cui το βημα ſuperſtruendum erat, illis ſterneret. Quid vero

vero obstat quominus nostrum istud pavimentum ad eundem olim usum finemque fuisse structum asseramus? Verum & ex altera parte prætorio junctum erat Sacrarium & Auguratorium, de quo dubitare non licet, confirmantibus id passim antiquis Auctoribus: *Dionys. Lib. IX.* τε ἑτερε των ὑπατων Γαιε Μαλλιε κεραυνος εις το στρατηγιον ἐμπεσων, την τε σκηνην διεσπασε, και την ἑστιαν ἀνετρεψε: *in alterius COSS. C. Manlii Prætorium fulmen incidens, & tabernaculum disjecit, & focum sive aram evertit. Tacitus. Illic aquilam & signa amplexus, religione sese tutabatur, ac ni Aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset, rarum etiam inter hostes, Legatus P. R. Romanis in castris, sanguine uo altaria Deûm commaculavisset. Livius. Sacrificio rite peracto, concilium advocat.* & *Cæsar* quoque: *Postero die, re divina facta, concione advocata, in conspectu oppidanorum milites collaudat.* Quinimo *Herodianus* claris verbis Templi castrorum meminit *Lib. IV.* 4. Ὡς δε ἐσεπεσεν εις το στρατοπεδον, ἐς τε τον νεων ἐνθα τα σημεια και τα ἀγαλματα τε στρατοπεδε προσκυνειται, ῥιψας ἑαυτον εις γην, ὡμολογει τε χαρησηια ἐθνε τε σωτηια: *Ut autem castra adtigit* (de Antonino loquitur) *ædiculamque eam, intra quam signa*

ſigna ac ſimulacra exercitus adorantur, procidens humi, gratias agebat votis quaſi pro ſalute ſuſceptis. Itidem *Lib. V.* 8. Ὡς δε ἀνοιξαντες τας πυλας ἐδεξαντο αὐτες, ἐς τε τον νεων τε ϛρατοπεδε ἠγαγον. &c. *Ceterum portis reſeratis accepere utrumque milites, atque in Templum caſtrorum deduxerunt.* Nimirum & inter monumenta noſtra Clotenſia ara ad dextram Prætorii partem comparet, ad cujus pedem crematorum cineres atque ſacra illa inſtrumenta detecta ſunt.

§. XXIV.

Præterea Romani in caſtris ſuis habuere omnis generis officinas, ad fabricandum cudendumque arma varia inſtrumentaque. De ferrariis officinis *Vegetius*, ſub *fin. Lib. II.* *Habet*, inquit, *ferreos harpagones, quos lupos vocant, & falces ferreas conſixas largiſſimis contis: Item ad foſſarum opera facienda bidentes, ligones, palos, raſtra, alveos, cophinos, quibus terra portetur. Habet quoque dolabras, ſecures, aſcias, ſerras, quibus materia ac pali dolantur atque ſecantur. Habet præterea artifices cum omnibus ferramentis, qui ad expugnandas hoſtium civitates, teſtudines, arietes, muſculos, vineas, ut appellant, turres etiam ambulatorias faciant.*

ciant. vide quoque *Lib. II. cap.* 11. Ad ferrarias has officinas refero incudem illam, quæ hoc ipſo in loco circa pavimentum eſt eruta, quales etiam apud Auguſtam Rauracorum inventas eſſe, me docuit ſupra laudatus Celeberrimus ISELIVS. Erant præterea in Romanorum caſtris & ad ea varia ædificia : Armamentarium, Valetudinarium, Procaſtria &c. de quibus *Tacitus IV. Hiſt. Subverſa longæ pacis opera, haud procul caſtris in modum municipii exſtructa.* Imo revera inſtar opidorum ſæpe ſtruebantur, præſertim in finibus Imperii, & ubi perpetuæ ſtationes & prætenturæ contra hoſtem : hæc origo & genitura nobilium aliquot hodie opidorum : quanquam hæc in ſtativa magis caſtra, quam vero in manſiones quadrent, nos tamen conjicimus & noſtra illa caſtra Clotenſia Valetudinario inſtructa fuiſſe, uti fidem faciunt inſignes ruinæ ædium ampliſſimarum, quas inter ſudarii iſte focus eſt erutus : fortaſſis ſub eodem tecto erant armamentarium atque fabrûm officinæ.

§. XXV.

Quinimo in ea, quam hactenus aſtruxi, opinione magis confirmor, cum

ipſum loci, unde hæc monumenta effoſſa ſunt, ſitum cogito. *Antoninus Aug.* in *Itin. Provinc. pag.* 142. *hæc habet:*

ARBORE FELICE. M. P. XX.
FINIBVS. M. P. XX.
VITODVRO. M. P. XXII.
VINDONISSA. M. P. XXIII.
RAVRACIS. M. P. XXVII.

Nimirum hæc erat regia illa & militaris via per Helvetiam, Romanis caſtris, quæ ipſe Antoninus enumerat, munita. Medius Vitodurum inter & Vindoniſſam eſt Pagus Clotenſis Caſtri, ut opinamur Romani ſedes: Quid ergo obeſt, quonimus incedentes Legiones hoc in loco quietem interponere fuiſſe ſolitas affirmemus? Siquidem hodie adhuc via regia Vitoduro ad Aquas Helvetiorum euntes ducit per *Kloten.* Hoc ſuadere videntur, Lapides illi Litterati atque monumenta, quæ hactenus inluſtravimus, omnia.

§. XXVI.

Verum diffitendum non eſt, eſſe multos in ea opinione, quaſi iſto in loco Thermæ, Balneave publica fuerint poſita: in quo tamen ſuffragium meum non obtinent

nent. Quippe militibus, quos hunc locum frequentaſſe abunde teſtantur Inſcriptiones, ex diſciplina Rom. interdicta erant balnea atque lavacra. *Polyænus* de Scipione corruptam diſciplinam in exercitu ſuo corrigente XVI. 2. Ἀργυρεν δε ἐκπωμα μη ἐχειν, και λεεσθαι μηδενα. *Dio* de Antonino Caracalla, qui gregarii militis more modoque vitam agebat: Και γαρ συνεβαδιζε τοις στρατιωταις και συνεστρεφε, μη λετρω χρομενως, μη την ἑσθητα ἀλλασσων, ἀλλα και παν ἐργον συνεργαζομενος, και πασαν τροφην ἀυτην ἐκεινοις ἀιρεμενος. *Chryſoſtomus in I. ad Timöth.* Στρατιωτης λετροις και θεατροις προσανεχων, και παραμελειας ὡς λιποταχτης κρινεται. Ita quoque *Æl. Spartianus* de Alexandro Severo: *Cum Antiochiam veniſſet, ac milites lavacris muliebribus & deliciis vacarent, eique nuntiatum eſſet, omnes eos comprehendi juſſit, & in vincula conjici, quod ubi compertum eſt, mota ſeditio eſt a legione cujus ſocii erant in vincula conjecti. Tum ille Tribunal aſcendit, vinctisque omnibus ad tribunal adductis, circumſtantibus etiam militibus, & quidem armatis, ita cæpit: Commilitones, ſi tamen iſta vobis, quæ a veſtris facta ſunt, diſplicent, diſciplina majorum Remp. tenet; quæ ſi dilabatur, & nomen Romanum & Imperium ammittemus. Neque enim ſub nobis iſta facienda ſunt, quæ*

ſub impura illa beſtia nuper facta ſunt. Milites Romani, veſtri ſocii, mei contubernales & commilitones, amant, potant, lavant. Græcorum more etiam quidam ſe inſtituunt: hoc ego diutius feram? & non eos capitali dedam ſupplicio? Equidem balnea non prorſus deerant Caſtris Rom. ſed deſtinabantur tantum uſui ægrorum: teſtis omnium loco *Vell. Paterculus Lib. II. cap.* 114. *Per omne belli Germanici Panonicique tempus, nemo e nobis, gradumve noſtrum aut præcedentibus aut ſequentibus, imbecillus fuit, cujus ſalus ac valetudo non ita ſuſtentaretur Cæſaris cura, tamquam diſtractiſſimus ille tantorum onerum mole huic uni negotio vacaret animus: Erat deſiderantibus paratum junctum vehiculum, lectica ejus publicata, cujus uſum cum alii, tum ego ſenſi. Jam medici, jam apparatus cibi, jam in hoc ſolum importatum inſtrumentum balinei, nullius non ſuccurrit valetudini.* Inde colligimus balnea noſtra Clotenſia Valetudinario juncta olim fuiſſe in uſum ægrorum. Qui vero publica ad iſtum locum balnea ſibi fingunt, velim mihi explicent, quo militares illas Inſcriptiones referant quæ Legionum integrarum cum balneis cognatio? Certe ſi militibus balneorum uſus fuiſſet conceſſus, cele-

celeberrimas illas Thermas Aquenſes, natura calidas, atque hibernis vicinas, Clotenſibus balneis longe antetuliſſent, & hæc omnino præ illis fuiſſent deſolata. Ut taceam ruinas noſtras Balneorum publicorum magnificentiam luxumque non redolere.

§. XXVII.

Reſtat ut in Clotenſium Caſtrorum ætatem inquiramus, ne quid intentatum relinquatur. Sedeamus ergo ad calculum, ut rite ſubducere poſſimus rationes. Quod ſi litterata, quæ hactenus expoſuimus monumenta, conſulimus, nobis liquido conſtat, ad tertii a Chriſto nato ſeculi initium, atque adeo ad Septimii Severi, Caracallæ & Elagabali ætatem hæc monumenta eſſe referenda, id quod vel ſoli docent litterati lapides, qui Legionem XXI. Septimii Severi agnomine inſigniunt, quin & ipſi Litterarum ductus formæque: adeoque manifeſtum eſt, hallucinari illos, qui ad Galbæ, Othonis & Vitellii tempora eorum antiquitatem extollunt, atque imprimis huc referunt funeſtam illam Cæcinnæ cum Helvetiis cladem, de qua *Tacitus Hiſt. Lib. I. cap. 67. Irritaverant turbidum ingenium*

Helvetii, Gallica gens, olim armis virisque, mox memoria nominis clara, de cæde Galbæ ignari, & Vitellii Imperium abnuentes. Initium bello fuit avaritia ac festinatio una & vicesimæ Legionis : rapuerant pecuniam missam in stipendium Castelli, quod olim Helvetii suis militibus ac stipendiis tuebantur ; agre id passi Helvetii, interceptis Epistolis, quæ nomine Germanici exercitus ad Pannonicas Legiones ferebantur ; centurionem & quosdam militum in custodia retinebant. Cæcinna belli avidus, proximam quamque culpam, antequam pœniteret, ultum ibat ; mota propere castra, vastati agri, direptus longa pace in modum municipii extructus locus, amœno salubrium aquarum usu frequens locus : missi ad Rhæticæ auxilia nuntii, ut versos in Legionem Helvetios a tergo aggrederentur. Illi ante discrimen feroces, in periculo pavidi, quanquam primo tumultu Claudium Severum ducem legerant, non arma noscere, non ordines sequi, non in unum consulere, exitiosum adversus veteranos prælium, intuta obsidio, dilapsis vetustate mœnibus, hinc Cæcinna cum valido exercitu, inde Rhæticæ alæ cohorteisque, & ipsorum juventus sueta armis & more militiæ exercita : undique populatio & cædes, ipsi in medio vagi, abjectis armis, magna pars sau-

cii

cii aut palantes, in montem Vocetium (Botzberg) perfugere. Ac ſtatim immiſſa cohorte Thracum depulſi, & conſectantibus Germanis Rhætisque per ſylvas atque in ipſis latebris trucidati: multa hominum millia cæſa, multa ſub corona vendita. Cumque direptis omnibus, Aventicum gentis caput juſto agmine peteretur, miſſi qui dederent civitatem, & deditio accepta, &c. &c. Memorat hic quidem Tacitus XXI. Legionem, ſed eam ſolam: Septimiam vero tunc temporis fuiſſe nuncupatam, nemo cui ſanum ſinciput affirmaverit: & quid clades iſthæc caſtra Clotenſia adtinet? Refert Tacitus Cæcinam cum exercitu fugientes Helvetios per ſilvas inſecutum, atque rebus omnibus confectis Aventicum ultro petentem: quinimo expreſſis verbis addit. *cap. 70. Cæcina paucos in Helvetiis moratus dies, dum ſententiæ Vitellii certior fieret, ſimul tranſitum Alpium parans, lætum ex Italia nuntium accipit, &c.* Quis vero Helvetiæ ſtatus fuerit, ſub Severi, Caracallæ, Alagabali etiam Imperio, docuerunt ante nos ad fidem monumentorum hiſtoricorum Viri Eruditiſſimi, *Guillimannus de Reb. Helv. Lib. II. Cap. 3. Plantinus in Hiſt. Helv.* alii paſſim: quos exſcribere ſuperſedeo, cum præter generalia

quædam, tacentibus qui vitas horum Impp. ſcripſere, priſcis auctoribus, afferant nihil, quod ad pleniorem monumentorum noſtrum illuſtrationem faciat : Qui volet eos adeat, atque ſibi conſulat. Cæterum nullus dubito, caſtra iſthæc noſtra Clotenſia vel ipſius Galbæ, Othonis, Vitellii, Trajani, Antoninorum temporibus jam fuiſſe & poſita & frequentata, id quod nummi ſuadere videntur ; quorum Imperatorum auctoritate Legiones etiam in Helvetia moratas ex aliis paſſim monumentis diſcimus. Forte jam ab ipſo Auguſto locus iſte in caſtri formam inſtructus eſt, ejus enim auſpicio militares viæ, per univerſum, qua late patuit, Rom. Imperium ſtratæ ſunt, quarum & nos hoc adhuc tempore hinc inde manifeſta ſatis indicia atque veſtigia deprehendimus : ut præſertim in via illa, quæ a *Gynopedio* ducit per *Vitodurum*, *Steig*, *Baſſerstorff*, & inde ad caſtra noſtra Clotenſia ; opus Romanum id eſſe, argumento nobis ſunt ſilices, glarea, arenaque mira arte conſtructa, per terram illam mollem & uliginoſam ; imprimis vero via illa montem ſecans, atque noſtris *Steig* dicta, a ſcandendo, *vom ſteigen.*

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Tigurinæ gentis quidem frequens, urbis vero nulla fit mentio in antiquis monumentis: multi multa de ejus fabulantur antiquitate atque origine, quæ nos non curamus, ſed iis relinquimus, qui umbram pro Junone amplectuntur, & quid diſtent æra lupinis neſciunt. Rara ſunt, non diffiteor, antiquitatis in illuſtri hac urbe monumenta; præter nummos quosdam & Deorum ſtatuas hactenus erutum nil eſt, quod magnitudinem Rom. operum prodat: Id tamen mihi non videtur mirum; ſuppetunt hujus rei rationes ſatis graves: Tigurum enim, antiquiſſimum licet, a Romanis præſidiis longo temporis tractu immune fuiſſe, cenſemus, utpote in mediterraneo ſitum: procul Rheni limites, quos juxta Hiſtoriæ fidem præ cæteris locis, præſidiis ſuis atque Legionibus firmabant Romani adverſus Germanorum inſultus: Hinc paſſim ad loca illa limitanea monumentorum Romanorum magna ſeges eſt. Hinc & *Antonino*, qui in *Itinerario* ſuo ea tantum oppida atque caſtra, quæ ad militarem viam ſtructa erant, recenſet, nulla Tigurinæ Urbis mentio. Celtæ vero genuini

nuini Urbis hujus incolæ parci erant & in Deûm cultu, & in reliquis muniis publicis obeundis; ut docent nos quæ, (raro id tamen) eruuntur monumenta : quorum in cenſum refero ſtatuam æneam artificii rudis, quæ in Cimeliarchio noſtro publico aſſervatur, & in hac urbe noſtra inventa eſt : refert illa, ut conjicio, Celtarum aliquem Deum barbatum, arctiſſima toga indutum, brachiis extenſis, mancis tamen mutilisque manibus, nudoque capite, cui etiam pinguis aqualiculus propenſo ſesquipede extat. Quicquid vero de hoc ſit, licet urbis noſtræ Antiquitas aliis multis iisque haut levibus nitatur argumentis : gratulamur tamen nobis de nuper invento pretioſo hoc theſauro, qui nobis ſuppeditat pro aſſerenda ejus antiquitate argumentum, quo reliqua illa non tantum confirmantur, ſed etiam vi atque pondere vincuntur, quodque omnem vitilitigandi anſam præſcindit, & Cavillatores ad ἐχεμυθίαν redigit.

TANTVM.

II. DIS-

II.

DISSERTATIO HISTORICO-LITTERARIA DE LIBRIS COMBUSTIS. (a)

§. I.

Libri licet monumenta esse videantur duro marmore & ære perenniora

quæ nec Jovis ira, nec ignes,
Nec possit ferrum, nec edax abolere vetustas,

Haud

(a) Jo. Schmidii & Fr. Guil. Schützii Dissertationes de combustione librorum varii generis & in specie hæreticorum, Lipsiæ A. 1696. & 1697. editas laudat Mich. Lilienthalius de Machiavellismo literario p. 127. eas vero inspicere hactenus mihi non licuit. Celeb. autem Andreæ Westphali Dissertationem, Gryphiswaldiæ A. 1713. habitam, qua centuriam librorum publica auctoritate combustorum erudite recensuit, vix tandem amici ope ex ipsa Pomerania nactus sum. In Michael. Piccarti Observat. historico-polit. Part. II. p. 59. sqq. peculiare extat caput hoc insignitum titulo *librorum mors ignis.* Huc quoque pertinet Jac. Gretseri liber inferius citandus.

Haud raro tamen diram fatorum atrocitatem experti ac tritissimas clades stragesque passi sunt, suo quoque exemplo testatum facientes, nihil esse in rebus humanis, destrui atque absumi nescium. Innumeros tempus cuncta vorans absorpsit, hominum ignavia blattis ac tineis misere lancinandos tradidit, spumantis undæ (*b*) pelagi rapuere,

(*b*) Non minus enim Neptunus, quam Bellona & Mulciber, infensum se quandoque Musis præbuit. Pauculis id in transcursu demonstratum dabimus exemplis. Notatu digna sunt, quæ de GUARINO Veronensi Ponticus Virunius in vita Chrysoloræ, ejus Erotematibus, Ferrariæ A. 1509. in 8. excusis, præmissa tradit: *Guarinus Verona oriundus, concivis Catullo, ex nobili familia Guarina ortus, ætate jam grandiore, a nobili Veneto Byzantium conductus, cœpit ibi Chrysoloram Græce per quinquennium audire. Reversurus in Italiam capsas duas librorum, quorum exempla non erant, duabus navibus locavit: cum altera venit, sed demersam alteram, perditis tantis thesauris librorum, audiens, nocte una canus totus factus præ dolore intolerabili.* vid. Menagian. Tom. I. p. 48. edit. recentiss. Paris. Tristissima Bibliothecæ VINCENTII PINELLI fata non sine gemitibus enarrat Paulus Gualdus in ejus vita p. 372. sq. collectionis Batesianæ, Gryphianæ vero p. 420. sqq. unde nonnulla delibabimus. *Bibliothecam Venetias devehendam curaveramus, ut inde mari Neapolim impendio minori appelleret: at ne qua vis major, ut in navigatione solet, pessundaret universam, placuit in tria navigia capsas conjici, — — Navium harum altera cum trium & triginta capsarum sarcina in piratas Turcas incidit, qui præda opulenta inhiantes*

puere, atque horridus Muſisque inimicus bellorum furor, omnia proſternens, perdidit. Nec paucos violenta invidiæ rabies nobis abſtulit, idemque fatum ſubire coëgit, quo intercidiſſe teſtis eſt Joannes Pierius

inhiantes, cum chartas & libros inveniſſent, gaudio in iracundiam verſo, inutiles ſibi merces abjicere cœperunt in mare, quousque captivi navarchi monitu deliniti, & tot exhauriendarum chartarum tædio fatigati, ab impotenti cœpto deſtiterunt. Ita navigium exarmatum, nautæ in vincula conjecti, merces reliquæ in triremem comportatæ, & libri (ut ille monuerat) relicti beneficio alicujus, qui cum navigio in littus ejectos colligeret aſportaretque. Ita plane factum: cum enim fluctus maris navim deſtitutam ejeciſſet in littus, e regione Firmanæ coloniæ, convolarunt ad expoſitam prædam piſcatores, aliique, quorum nonnulli libros domum aſportare, quidam papyros in fruſta diſſectas ad rimas navigiorum cum glutino adhibere, non pauci, ſpecularium vice, tuguriorum feneſtris aptare. Et profecto memini audire me a quopiam, per tractum ſane quam patentem litoris illius aliud tum omnino haud comparuiſſe, quam laceras ſchedas, qua projectas in litus, qua in ſalo fluctuantes &c. Naufragii Bibliorum Suevicorum, nec non Polyglottorum Antwerpienſium mentionem feci Tom. II. p. 397. ſq. Magnam MSS. congeriem, quam CHRISTINA, REGINA SUECIÆ, è Germania in Sueciam abſportare conſtituerat, undis marinis abſorptam fuiſſe, didici ex Herm. *von der Hardt*, Proleg. Hiſt. Conc. Conſt. cap. X. De adverſis librorum variorum fatis quædam obſervavit B. Theph. Spizelius in Commentat. de vitiis litteratorum p. 990. ſqq.

lius Valerianus (*c*) Petri Martelli Florentini, Viri inter ætatis suæ litteratos non ultimo loco habiti, quatuor libros exactissimæ interpretationis in mathematicas disciplinas, a Petro Alcyonio ita suppressos, ut nusquam amplius apparuerint (*d*). Plurimos funestus in cineres redegit ignis, de quibus in præsentia commentari constitutum mihi est. Animus erat primum, ea quæ de libris incendio absumtis generatim observaveram, procœmii loco præmittere commentationi, a me pridem promissæ, de libris publica auctoritate combustis, sed perspiciens, justæ præfationis limites me sic supergressurum esse, mutavi consilium, atque illa heic, quum notatu non prorsus indigna videantur, seorsim exhibere decrevi, reliquis proxime secuturo hujus opellæ tomo reservatis.

§. II.

Primo igitur loco enarrandæ atque lacrymis nostris irrigandæ forent celebriores Biblio-

(*c*) Lib. II. de litteratotum infelicitate. p. 362. edit. Lipsi.

(*d*) De alio libro ab Alcyonio suppresso vid. Tom. II. p. 381.

Bibliothecæ, in cineres infelici fato redactæ, niſi otium nobis feciſſent Viri Doctiſſimi, Mich. Neander (*e*) Jo. Lomajerus (*f*), Thomas Bartholinus (*g*), Andr. Weſtphalus (*h*) aliique. Ne tamen prorſus ἀσυμβολοι recedamus, pauculas & nos memorabimus. Anno MDLXI. in bellis Galliæ civilibus feralis flamma FLORIACENSE Ordinis Benedictini Monaſterium una cum Bibliotheca inſtructiſſima abſorpſit, quæ qualis fuerit, ex his Raynaudi (*i*) verbis facile augurandum: *Scholæ in monaſterio Floria-*

(*e*) In erudita de Bibliothecis deperditis ac noviter inſtructis præfatione Erotematibus Græcæ Linguæ ed. Baſil. 1569. præfixa, & poſtmodum ob raritatem & præſtantiam inſerta Collectioni I. Comment. de Bibliothecis Madero-Schmidianæ, p. 37. ſqq.

(*f*) In Lib. de Bibliothecis paſſim.

(*g*) In Diſſ. de Bibliothecæ incendio ad filios.

(*h*) Qui Jenæ A. 1709. Luci reſtituit Barthol. Diſſert. & in præfat. recentiora Bibilothecarum combuſtarum exempla exhibuit, qualia etiam dedit in præf. Diſſ. de libris publica auctoritate combuſtis p. 3. ſqq. Niſi memoria me fallit, vidi etiam aliquando Clar. Bolzii Regiomontani Diſſ. de Bibliothecarum incendio.

(*i*) Qui hæc ex Aimoini Vita S. Abbonis Floriacenſis hauſit, cit. Arſen. Sulger. in Annalibus Imper. Monaſt. Zwifaltenſis Part. II. p. 145. de Schola quoque Floriacenſi conferri poteſt Jo. Launojus de Scholis.

Floriacensi fuere celeberrimæ, ita ut adolescentum & studiosorum ultra quinque millia numeraret, a quorum singulis pro muneribus scholastico dabatur Monacho Præceptori duplex volumen manuscriptum, haudquaquam exile minerval certe, typographia tunc nondum per orbem propagata. Unde de immensitate voluminum, quæ isto incendio irreparabili damno periere, judicium haud difficulter ferri potest. Ita quoque A. MDLXXVIII. Vulcanus vastator in Suevia nostra WEINGARTENSE ejusdem Ordinis Cœnobium cum Bibliotheca devoravit. Audiamus ea de re Gabrielem Bucelinum(*k*): A. 1578. *luctuosissimo toti posteritati incendio vastatur Imperiale Monasterium Weingartense, splendidissimo & amplissimo, quod paulo ante Johannes Gerwici successor extruxerat, palatio, cum ignibus, tum consequente inde concamerat arum ædificiorum ruina absumpto, in quod paulo ante locupletissima magni momenti veterum Manuscriptorum & incomparabilis raritatis monumentorum Bibliotheca translata est,*

lis celebrioribus seu a Carolo M. seu post eundem Carolum per Occidentem instauratis Cap. XXIII. p. 85. sqq. & Cap. XXVI. p. 104. sq. edit. Hamburg.

(*k*) In Constantia Rhenana. p. 358.

eſt, paucis e pergameno libris, ipſo flammarum impetu per longa aëris ſpatia in patentes campos ejectis & poſteritati conſervatis. Superbit tamen hodienum hocce Monaſterium (cui nuper moderni Abbatis magnificentia novum templum ſplendidiſſimum, veteri diruto, acceſſit, pauciſſima fortaſſis in Germania habens paria) Bibliotheca codicibus manu exaratis, & maximam quidem partem membranaceis inſtructiſſima, laudata etiam a Jo. Mabillonio (*l*). Nec deſunt rariores typis excuſi, e quibus nomino Ciceronis officia & Paradoxa Moguntiæ per Jo. Fuſt & Petr. Schoeffer A. 1465. membranis impreſſa, ac Clementis V. P. M. Conſtitutiones, ab iisdem in fol. A. 1460. vulgatas, cujus rariſſimæ editionis cum Cel. Maittaire in Annalibus typographicis haud meminerit, ea, quæ ad ejus calcem notata ſunt, huc transferre operæ videtur eſſe pretium. *Preſens Clementis Pape quinti Conſtitutionum Codex una cum apparatu Dn. Joh. An. ſuis rubricationibus ſufficienter diſtinctus artificioſa adinventione imprimendi & characterizandi absque ulla calami exaratione ſic effi-*

(*l*) In Itin. German. p. 43. ſq. edit. Hamburg.

giatus & ad Eusebiam Dei industrie est consumatus. Per Joannem Fust. civem Moguntinum & Petrum Schoiffher de Gernsheim clericum diœces. ejusdem. Anno Dn. MCCCC. sexagesimo. XXV. die mens. Junj. Exemplar hoc ibidem est membranaceum, Bibliothecæ cimeliis jure accensendum.

§. III.

Incendio quoque A. MDCXXIII. periit egregia Bibliotheca WALLENRODIANA, ita, ut ne pagina quidem relicta sit, atque simul interciderit desideratissima Joannis a Wallenrod Concilii Constantiensis historia, a Theodorico Vrie laudata, cui epicedium scripsit Cel. Hermannus *von der Hardt* (*m*). Pariter A. MDCXCVII. funestæ flammæ injurias expertum est Cœnobium SALEMITANUM Ordinis Cisterciensis (Salmansweiler), una cum Bibliotheca

(*m*) In præf. Tom. I. Part. II. Historiæ Concil. Constant. collegit vero postea ejus Possessor magnis sumtibus aliam insignem Bibliothecam, quam Illustrissimus illius Filius publicis dicavit usibus. Ejus notitiam dedit Clar. Volbrechtus, qui hodie ipsi præfectus est, in *erläutertem Preussen*, Fasc. XXXIII.

theca ampliſſima igne abſumptum. Quædam ejus MSSta enarravit Mabillonius (*n*), ac inter ea Acta Concilii Conſtantienſis in maximo folio cum egregiis figuris & ſymbolis gentilitiis eorum omnium, qui Concilio interfuerunt, quantivis pretii opus, cujus jacturam laudatus Hardtius (*o*) deplorat. Eodem etiam fato ſuperiori ſeculo interiiſſe novi ROTHENSE ordinis Præmonſtratenſis Monaſterium, nobis vicinum, cum apparatu librario non contemnendo. Anno autem præterlapſo 1726. d. 13. Jan. Pariſiis eximia Bibliotheca VALINCURTIANA cum pretioſa ſupellectili & multis rarioribus picturis in ignes conſedit (*p*). In incendio item nupero FRANCOFURTANO Vulcanum deſtructorem nec peperciſſe tabernis librariis, atque ſic operibus (*q*) nonnullis raritatem induxiſſe, nunciarunt publicæ novorum litterariorum tabulæ. Et quot, ſodes, omni ævo cum in-

(*n*) In Itin. German. p. 89. ſq.

(*o*) In prolegomenis Hiſtor. Concil. Conſtant. Cap. X.

(*p*) Vid. *Neue Zeit. von gelehrten Sachen.* p. 89.

(*q*) Inter quæ præſertim Reuberi Scriptores rerum Germanicarum, ſtudio Celeb. Joannis non ſine inſigni acceſſione iterato paulo ante editi. vid. l. c. p. 533.

tegris urbibus in favillas abiere Bibliothecæ opulentissimæ, quarum jam ne memoria quidem supereſt?

§. IV.

Haud raro etiam contigit, ut ingens librorum copia imperantium aliorumve cura infelicibus flammis ustulanda traderetur. Augustus, quicquid fatidicorum librorum Græci Latinique generis vel parum idoneis auctoribus ferebatur, supra duo millia contracta undique cremavit, ac solos rètinuit Sibyllinos (*r*). Ephesiorum, *των τα περιεργα πραξαντων*, multos, ad Christum conversos, libros impios publice exussisse, refert & calculo suo probat S. Lucas (*s*). Pios vero Christianorum libros è medio tollendos, inque cineres vertendos curasse Diocletianum, Antiochi Epiphanis crudelitatem (*t*) æmulantem, testis est Eusebius (*u*). Arianos sacros libros, quoscunque

(*r*) Sueton. in Augusto. Cap. XXXI. Hac vice tantum agemus de multis libris simul imperantium jussu crematis, de singularibus vero ejus generis libris Tomo VIII. differemus.

(*s*) In Act. Apost. Cap. XIX, 19.

(*t*) 1. Maccab. 1, 59. 60.

(*u*) Histor. Eccl. L. VIII. c. 2. 3.

que in Eccleſiis reperiebant, flammis abſumſiſſe conqueritur Athanaſius (*x*): contra Conſtantinum M. eorum libros igni addixiſſe memorat præter alios Sozomenus (*y*). Libros Eunomianos comburi

(*x*) In epiſtol. ad orthodoxos de perſecut. excit.

(*y*) Hiſt. Eccl. L. I. c. 20. Narratur ibi, Conſtantinum decreviſſe, ut, ſi quis aliquem librum Arianum occultare deprehenderetur, ac non illico in publicum productum incenderet, capitis mulctaretur ſupplicio. Mirum vero, tanta ſeveritate Imperatorem in eos, qui Ariana ſcripta igne non perderent, ſed occultarent, uti voluiſſe, cum ipſum contra Arium exilio tantum mulctaverit. Parum igitur abeſt, quin pollicem premam Mino Celſo Senenſi, ita de ea re judicanti in Diſputatione: *In Hæreticis coercendis quatenus progredi liceat, ubi nominatim eos ultimo ſupplicio affici non debere aperte demonſtratur:* edit. Chriſtling. A. MDLXXVII. p. 133. ſq. *Arrius hæreſiarcha a Conſtantino haud comburitur, ſed tantum in exilium ablegatur, & in ejus libros non comburentes capitale ſupplicium decernitur. Hæreticus insultus dimittitur, in libros autem ſævitur. Nec tamen usquam legitur, in hujusmodi libros retinentes hac lege animadverſum eſſe. Ex quo luce clarius colligitur, Cæſaris decretum in Arrii libros apud ſe habentes ad terrorem conditum eſſe, ut ejus dogmatis ſectatores ab eo deterrerentur, itaque extinctum iret hæreſis illa: non autem ſanguinario animo hæreticos trucidandi: cujus rei illuſtre poterat exemplum edere, inſignem hunc hæreticum necando, ſi ſic decere cenſuiſſet. Nam alioqui in ſapientiſſimo ac pru-*

ac prudentissimo Principe tantam fuisse stupiditatem mente concipi non potest, ut hæreticos necandos sentiens, hæreticum a celeberrimo Concilio damnatum impunem dimisisset, libros autem ejus eosque retinentes comburendos imperasset. Hac occasione quædam de hujus libri auctore, de quo inter eruditos disputatur, monere lubet: Sunt, qui sub Mini Celsi nomine Sebastianum Castalionem latere volunt: Celeb. vero Heumannus in Schediasmate de libris Anonymis ac Pseudonymis p. 144. sq. post Sandium, Bailletum, Placcium & Goth. Arnoldum hanc personam induisse Lælium Socinum existimat. Sed liceat mihi, salva, quæ mihi cum Viro Optimo verique amantissimo intercedit, amicitia, in hoc ab eo modeste dissentire. Ego Mini Celsi nomen haud adscititium, sed auctoris proprium esse arbitror. Extant enim inter Epistolas Claudii Tolomei, itidem Senensis, Italicas, Venetiis A. 1566. in 8. hoc titulo editas: *De le Lettere di M. Claudio Tolomei Libri Sette, con nuova aggiunta ristampate, & con somma diligenza ricorrette*, p. 288 sqq. Fabii Benuoglienti litteræ ad Minum Celsum Venetiis d. 15. Sept. A. 1548. scriptæ, e quibus ista ætate Virum eruditum, eo nomine insignitum, vixisse patet. Illum autem librum primo Italico sermone conscriptum fuisse, ipse nos auctor edocet, p. 117. his usus verbis: *Reliqui nobis sunt ex neotericis Caspar Hedius, Johannes Agricola Islebius, Jacobus Scheuchus & Christophorus Hofmannus, quorum Latine scripta, quamprimum has nostras disputationes Hetrusce scripsimus, commodum habuimus: eorumque dicta ex Latina in nostram linguam vertimus; nunc autem cum eo locorum venerimus, ubi eorum libri, etsi diligenter inquisiti, ad manum nobis non fuerint, ex nostra in Latinam linguam eorum locos fidelissime vertimus, eorum sensu nulla ex minima parte immutato.* Habemus & alium ejus argumenti librum cum præfatione Martini Bellii (non Prelli, uti perperam a Goth. Arnoldo in Histor. Eccl. & hæret. P. II. p. 407. vocatur

juſſit Theodoſius M. (*z*). Eutychianos & Apollinarianos Imperatores Valentinianus & Marcianus, Manichæos Leo M. & Symmachus I. PP. MM. nec non Cabades Perſarum Rex, Magicos & judiciarios Valens Imperator, ſed intermixtis plurimis optimi generis operibus (*a*), & alii, Monotheli-tarum libros, Synodus ſexta, Thalmudicos & Judaicos alios (*b*) Gregorius IX. Julius III. Paulus IV. Clemens VIII. (*c*) PP. MM. Mahometanos Franciſcus Ximenius Archiepiſcopus Toletanus. De quibus omnibus brevis ſum, cum plenius jam de iis diſſeruerit Jacobus Gretſerus (*d*).

vocatur) quem recenſuit & Argent. A. 1610. recudi curavit Joach. Cluten.

(*z*) Lib. XVI. Cod. Theodoſ.

(*a*) Vid. Ammian. Marcell. Lib. XXIX.

(*b*) De fatis Thalmudis & librorum Judaicorum vid. Celeb. J. C. Wolfii Bibliothec. Hebr. Part. II. p. 930. ſqq.

(*c*) De Clemente VIII. Paulus Piaſecius Epiſcopus Præmisliënſis in Chronic. geſtorum in Europa ſingularium f. 112. *Eodem tempore Pontifex legem ſancivit, ne Judæi Talmud ſuum & alios in Indice expreſſos ac prohibitos libros legerent, & omnes tales libros ab officio Inquiſitionis conquiſitos cremari juſſit; in ſola civitate Bergomenſi fere* 10000. *hujusmodi librorum fuerunt collecta & igne abſumta.*

(*d*) Lib. I. De Jure & more prohibendi, expurgandi

§. V.

Apud SINENSES licet a longo tempore litterarum studia non mediocriter floruerint, aliquando tamen diris ea novercantis fortunæ insultibus petita, ab extrema pernicie prope abfuere. Jussu enim atque auspiciis Imperatoris Chingi seu Xii, antecessorum suorum sic extincturi memoriam, suamque solius famam nefario ausu apud posteros servaturi, cuncta fere philosophorum monumenta perdita atque cremata sunt, furorem ejus in comitiis hac oratione acuente Lisuo, pessimæ notæ philosopho: *Olim cum in plures divisa dominos essent regna, non abnuerim necessarium fuisse literarum studium, ut, quæ ad cujuscunque regni gubernationem pertinerent, e libris promerentur. Nunc eviluit hæc ratio, cum sub unius imperio totus quiescit orbis, omnes unius nutum intuentur, unus ordo, una lex servanda, cui rei quid plura scire sit opus ego quidem nescio, at obesse potius, hoc scio. Quid enim?*

---

gandi & abolendi libros hæreticos & noxios, de quo opere videsis judicium Guilielmi Cave in prolegomenis historiæ literariæ scriptorum ecclesiasticorum f. 14. sq.

enim? Otioſis litigioſisque literatoribus regnum cur oppleamus? Quo impenſius Imperatori vigilandum, ne quis libros habeat domi vel ſuæ vel alienæ, neve abſcondat, ſed quamprimum addicat flammis, etiam ſub mortis pœna denunciandum, ſalvis tamen illis, qui de agricultura, medicina & divinatione agunt. Periere igitur tum omnes propemodum Sinicorum Philoſophorum libri, ſi Confutii ac Mentii ſcripta exceperis, quæ mulier quædam laudabili conſilio paginis diviſis ad domus parietes agglutinatis feliciter exitio eripuit (*e*).

§. VI.

Eximia ARABUM in litteras merita neminem paulo humaniorem fugiunt: at inter eos etiam in libros optimos flammis nonnunquam atrociſſime ſævitum fuit. Accipe ejus crudelitatis exemplum. Amrus, exercitus Arabici dux, Alexandria Ægypti urbe capta rogatus a Joanne Philopono

(*e*) Vid. Martinium in Hiſtor. Sin. Lib. VI. p. 210. ſq. & Theophilum Spizelium in commentario de re litteraria Sinenſium Sect. III. p. 42. quem inter reculas meas ſervo multis obſervationibus haud aſpernandis ipſius beati Auctoris manu ornatum.

Grammatico, quem favore complectebatur, ut libros philosophicos, quorum magnam vim bibliotheca regia possidebat, ipsius concederet usibus, ab Omaro Chalifa ejus rei veniam impetrare contendit. Ab eo autem hoc tulit responsum: *Utique libros istos vel cum Alkorano convenire, atque ita opus iis non esse, sufficere enim Alkoranum: vel illi contrarium aliquid continere, atque eo nomine penitus tollendos.* Quo audito Amrus illos ad calefacienda balnea, quorum quatuor millia isto tempore Alexandriæ fuerunt, adhiberi jussit: tanta autem eorum fuit copia, ut omnes semestri demum spatio hac ratione consumti sint, si fides Abulpharagio id narranti (*f*) habenda. De iisdem Leo Africanus apud Hermannum Conringium (*g*) hæc commemorat. *Eo tempore quo a Bagadadi Pontifice deficientes rerum in Africa potiebantur*

(*f*) In historia Dynastiarum, ab Eduardo Pocockio Arabice & Latine Oxoniæ A. 1663. publicata, p. 181. add. Pocock. Specim. Histor. Arab. p. 165. & Hottingeri Analecta Historico-Theolog. p. 247. sq. De fatis studiorum apud Arabes egregia extat Dissert. Clar. J. G. Lakemacheri, sub præsidio D. C. D. Kochii Helmstadii A. 1719. habita.

(*g*) In Supplementis Dissertationum de Antiquitatibus Academicis. p. 242.

tur Arabes, omnes Aſrorum libros igni committi juſſerunt. Sic enim perſuaſum habebant, quamdiu penes Africæ incolas eſſet aliqua naturalis ſcientiæ aut bonarum diſciplinarum cognitio, fore, ut ſuperbia eos indies ad tumultum atque ad Mahumethicæ legis contemtum magis ac magis provocaret. — Nonne idem & Perſis, dum adhuc ſtaret Arabum imperium, accidiſſe legitur? Certiſſime conſtat, hos quoque literas, quas ſibi peculiares habent, amiſiſſe, omnesque illorum libros Pontificum Mahumedanorum juſſu igne conſumptos, ne quid rerum phyſicarum cognitio aut idolorum leges Mahumedicæ detraherent dignitati. Addo, quæ de iis Joannes Spencerus *(b)* habet: *Primi poſt Mahamedem Duces libros ubique*

que

(*b*) De Legibus Hebræorum ritualibus & earum rationibus Lib. II. Cap. I. p. 360. edit. Lipſ. 1705. Ἐν παροδῷ heic notare placet, Arabes non magnam duntaxat librorum vim combuſſiſſe, verum etiam undis immerſiſſe. De Mujavia enim, Sarracenorum Duce bellicoſiſſimo Cœlius Auguſtinus Curio Lib. I. Sarracenicæ Hiſtoriæ (quæ cum Wolffgang. Drechsleri Turcicarum rerum Chronico, & ejusdem Curionis deſcriptione Marochenſis regni, nec non Cœlii ſecundi Curionis belli Melitenſis hiſtoria Baſileæ A. 1568. in 8. ex officina Oporiniana prodiit) p. 54. ſq. hæc memoriæ prodidit: *Concilium ſuæ ſectæ indixit, ad quam edicto promulgato doctos omnes, quive*

que locorum incendio tradiderunt, & ita se gesserunt, quasi bellum non minus humanitati, quam hominibus indixissent. Quin & seculi sequentis Arabes artium & literarum omnium adeo rudes erant, ut id inprimis curasse putentur, ne Prophetam suum illiteratum (uti vulgo audiit Mahometes) scientia superarent. Inde venit, quod scriptorum Arabicorum hodie vix quispiam annis octingentis antiquior inveniatur.

§. VII.

Ab Arabibus ad GRÆCOS, omnis olim eruditionis antistites, migrabimus, quibus tot præstantia antiquitatis monumenta orbis cultior debet. Desiderantur hodie multorum quondam inter istos celebrium poëtarum opera, quibus internecionem ignis, ab iis excitatus, jurene an injuria nescio, intulit. Testem

quive aliquod Muamedis aut superiorum pontificum haberent, suum agnoscentes imperium, venire, & scripta secum adferre jussit. Celebratus hic conventus exitiabilis fuit Damasci: cumque ibi ob sententiarum pugnantium varietatem nihil statui posset, sex omnium sapientissimos ex eo numero communi consensu eligi jussit: & sic delecti fuere Mulcinus, Boarius, Buora, Anoecius, Abermindus, & David. His in unam domum cum omnibus scriptis, quæ allata fuerant, inclusis, ut singuli ex illis

Teſtem produco Petrum Alcyonium (*i*): *Audiebam puer ex Demetrio Chalcondyla, Græcarum rerum peritiſſimo, ſacerdotes Græcos tanta floruiſſe auctoritate apud Cæſares Byzantinos, ut integra (illorum gratia) complura de veteribus poëmata combuſſerint, inprimisque ea, ubi amores, turpes luſus & nequitiæ amantium continebantur, atque ita Menandri, Diphili, Apollodori, Philemonis, Alexis fabellas, & Sapphus, Erinnæ, Anacreontis, Mimnermi, Bionis, Alcmanis, Alcæi carmina intercidiſſe: tum pro his ſubſtituta Nazianzeni noſtri poëmata, quæ etſi excitant animos noſtrorum hominum ad flagrantiorem religionis cultum, non tamen verborum Atticorum proprietatem & Græcæ linguæ elegantiam edocent. Turpiter quidem ſacer-*

ex illis ſcriptis omnia Muamedis facta & dicta, quæ veriſimilia viderentur in unum volumen colligerent, injunxit. Cumque illi ſex volumina feciſſent, reliqua omnia ſcripta in flumen projici curavit, quæ tot fuerunt, ut illis ducenti cameli fuerint onerati. Deinde lege lata gravem eis pœnam propoſuit, qui ſecus crederent, facerent, dicerentve, quam in iis ſex Alcoranis præſcriptum eſſet. Cæterum hodienum omnia exemplaria librorum Muhammedanorum, a Chriſtianis typis excuſorum Turcis haberi profana, & vel ideo igne abolenda memorat D. J. M. Langius in Diſſ. de Alcorani prima editione p. 28.

(*i*) In Medice legato priori p. 69. Analectorum Illuſtr. Menkenii de calamitate literatorum.

cerdotes isti in veteres Græcos malevöli fuerunt, sed integritatis, probitatis & religionis maximum dedere testimonium. Fateor autem, me vereri valde, ne ab illis sacerdotibus cum malis & noxiis libris stragem etiam senserint codices, immortalitate dignissimi.

§. VIII.

Pedem a Græcia ad SUEO-GOTHOS longe dissitos promovebimus, quorum poëtæ, antiquis temporibus Scaldi nominati, res a majoribus atque sibi coævis heroibus strenue gestas certatim carminibus celebrarunt, magno ab ipsis olim Regibus habiti in pretio. Supersunt hodienum nonnulla eorum poëmata, vel poëmatum fragmenta; sed plura superessent, nisi Olaus Skautkonung præpostero zelo abreptus, & instinctu præsertim Papæ Sylvestri II. item Sigfridi, Eschilli, Davidis & reliquorum Monachorum carmina ejusmodi Runica, utpote magiæ suspecta, & undique studiose comportata, Vulcano consecrasset. *(k)*

§. IX.

(*k*) Vid. Jo. Aluandri Historiolam artis typographicæ in Suecia. p. 3. & auctores ibi allegatos.

§. IX.

Propius tandem ad noſtra accedamus tempora. Nunquam credo flammæ violentiam in bonos libros adeo graſſatam eſſe, quam ab ea ætate,

Primus inacceſſum 'qua per tot ſecula verum,
Eruit e tetris longæ caliginis umbris.

B. Lutherus divina fultus gratia. Non ejus ſolum, ſed & συνεργων opera magno numero in Germania, Anglia, Italia, Gallia, Hiſpania alibique ferali rogo fuiſſe impoſita nemo ignorat, niſi qui nihil novit. Haud publice duntaxat, verum etiam privatim Lutherani libri flammis fuerunt injecti. Nec mirum id, cum præter alia ſeveriſſimum proſtat CAROLI V. edictum, Bruxellis A. MDXL. publicatum (*l*), in quo hæc præcipiuntur: *So jemand die vorgeſchriebene Bücher Lutheri &c. bey ſich hätte, daß*

(*l*) Vid. Bibliotheca Cyprianica. p. 397. de libris Lutheri paſſim publice combuſtis hujus loci non eſt, pluribus agere; conferendus eſt de iis Seckendorfius, Sleidanus, Weſtphalus l. c. p. 30. aliique.

daß er die bald verbrenne, bey peen verklärt und vollstreckt zu werden, nemlich die Manns-Person mit dem Schwerdt, und die Weiber lebendig zu vergraben, so sie anderst ihre Irrthum nicht dulten oder beschützen wollen. Wenn sie aber in ihren Irrthümern der Ketzerey verharren wollten, so sollen sie mit dem Feuer zum Tode gebracht werden, und alle ihre Güter genommen, und gewendt zu unserm Nutz. PHILIPPUS II. Hispaniarum Rex, ejus filius, pro illo fervore, quo in pontificiam religionem tuendam ac provehendam ferebatur, in suis ditionibus, Belgicis præsertim, omnes libros, quos hæreticos vocant, sedulo conquiri atque exuri, alios vero, purgationem admittentes, castrari jussit. Ipse id de se testatur in diplomate, A. 1571. ultimo Julii Bruxellis dato, & Indici expurgatorio præmisso: *Quandoquidem ad orthodoxæ religionis incrementum tam in his provinciis citerioribus, quam in aliis, quo hinc libri transvehuntur, Nos* A. CIↃIↃLXIX. *elapso, duobus indicibus super librorum prohibitorum censura evulgatis bibliothecas omnes publicas privatasque a libris ut tum, sic etiam in hoc tempore periculi & scandali nomine damnatis, perpurgavimus: hac in re divinam legitimamque constitutio-*

ſtitutionem ſequuti, quæque in ſacroſancto concilio Tridentino & catalogis decretisque ejus ſtatuta & declarata ſunt. Et quoniam inter præſcriptos libros permulti in omni facultate ſcientiaque comperti ſunt, qui alias caſtigati, & a zizaniis impuræ doctrinæ opinionumque emendati, deinceps bona ſui parte & cum fructu legi poſſint: & nolentes perire tantam pecuniæ vim, quam æſtimatio ejusmodi librorum producere queat, non ſine magna mercatorum jactura, & ſtudioſorum damno, mandavimus hæreſiarcharum ut principum hæreticorum ſcripta eaque plane exitioſa incendio aboleri, quæ in prædictis provinciis noſtris citerioribus inventa ſunt, quorum quidem Dei gratia rara exemplaria exſtiterunt; quæcunque vero alia purgationem facilem admiſſura videbantur, ea univerſa in urbibus & municipiis prædictarum provinciarum collecta conſervari cavimus &c. BUDENSES in Hungaria A. 1524. Georgium quendam Bibliopolam una cum libris evangelicis exuſſiſſe, Abrahamus Scultetus (*m*) ſcribit. LUTETIÆ quoque librarius quidam, una cum plurimis libris A. 1559. vivus uſtulatus fuit (*n*).

(*m*) In Annalib. Evangel. p. 62. edit. *Herm. von der Hardt.*

(*n*) Vid. J. H. Hottingeri Hiſtor. Eccleſ. N. T. Tom. IX. p. 408.

§. X.

ROMÆ præsertim cum alias, tum potissimum ab ætate PAULI IV. P.M. primus catalogum hæreticorum & librorum damnatorum typis vulgari curavit, plurimos flamma hausit libros, Pontificis in concremandis eruditorum, qui a Romano cœtu secesserant, lucubrationibus privatis etiam imitantibus. Hinc Theodorus Zwingerus (*o*): *Quantam stragem sub Paulo IV. Pont. max. A.* 1559. *Germaniæ clarissimorum virorum scripta religionis nomine publice passa sint, testes esse possunt, qui eo tempore in Italia fuerunt. Vidimus nos privatim Philippi Melanchthonis grammaticam exuri, cumque causam rogaremus, id unum afferebatur, sanctorum hominum consiliis parere sanctum esse & pium. Erat autem id consilium Confessoris privati, magno cum applausu in Patavino Gymnasio theologiam profitentis.* De hujus incendii auctore ita cecinit Sudarnocus Surensegus (*p*), primariam ejus causam indicans: *Ineptus*

(*o*) In Theatro Vitæ humanæ Vol. XVIII. Lib. VIII. f. 3103. conf. Jo. Henr. Hottingeri Histor. Eccles. Novi Test. Tom. IX. p. 408.

(*p*) Vel potius literis retro lectis & utrinque terminatione *us* abjecta Conradus Gesnerus, Polyhistor. Tigu-

Ineptus olim & conſcius pictor ſibi,
Galli figuram venditurus alitis,
Puerum jubebat, forte gallinaceus
Ne vivus ullus ales eo procederet,
Cavere. Idem hodie nonne facit ter maximus
Pictor? licere qui ſibi putat omnia,
Quæcunque pingit atque comminiſcitur:
Quæcunque fingit atque mentitur: jubet
Illis haberi ſimpliciter ab omnibus
Fidem. Et quia nuper improbari cœperant
Commenta, quæ obtrudit miſeris mortalibus,
Nunc veritatem e finibus juſſit ſuis
Faceſſere, exulare, cum omnibus bonis
Sanctisque libris: in quibus veri alites,
Ad ætherem alis evolantes limpidum,
Teſtantur alta voce cœleſtem Dei
Inſtare lucem, filium per unicum:
Ad hanc relictis & tenebris ſe præparent,
Surgantque mortales, monent graviſſime.

Indices certe prohibitorum librorum eum finem ſibi poposítum habere videntur, ut illa

Tigurinus. Hoc vero carmen cum aliis eandem rem concernentibus annexum eſt Thomæ Naogeorgi Regno Papiſtico, ed. 1559. p. 309.

illa, quæ prorsus in istis damnantur, opera, non hominum tantum manibus excutiantur, verum etiam penitus aboleantur. Unde ei, qui auspiciis CLEMENTIS XI. A. 1711. e typographia Cameræ, quam vocant, Apostolicæ in forma octuplici prodiit, præfixa est figura, sistens DD. Apostolos Petrum & Paulum, in quorum pectora Spiritus S. ignem & radios suos cœlitus immittit, ita quidem, ut inde rursus exsiliant in libros subjectos, eosque ingenti flamma excitata absorbeant. Hac autem injuria affici plurima monumenta eximia atque dignissima, quæ per seræ posteritatis manus eant, omnes norunt, quibus truculentos istiusmodi indices evolvere licet. Multis igitur libris carendum est literatis Romæ & alibi, ubi idem rigor obtinet, degentibus: de quo Gabriel Naudæus (*q*) in literis

(*q*) Vid. ejus Epistolas, Genevæ A. 1667. in 12. editas, p. 232 sq. Aliud etiam Naudæo Romæ tum tædio fuit, studiisque ejus remoram injecit, de quo ita l. 1. p. 213. sq. in literis ibidem A. eod. d. 25. Febr. ab D. Du Pré Caussinii Dominum datis: *Accessit longe permolestum ac tædiosum onus functionis aulicæ, quæ in eo tota versatur, ut Eminentissimi Cardinales anteambulonum aulicorum frequentiori numero stipati incedant, dum mutuis inter se certant officiis & honoris ac salutis impertienda*

literis ad Petrum Gaſſendum Romæ d. 6. Mart. A. 1632. exaratis conqueritur: *Commodum mihi traditur ab Eminentiſſimo Cardinali meo Nundinarum Francofurtenſium Catalogus, in quo Philoſophiæ & Alchymiæ Fluddanæ clavem inveni, ſive Roberti Fluddi Armigeri & Medicinæ Doctoris ad epiſtolicam tuam pro R. Patre Marino Merſenno Exercitationem reſponſum. Verius tamen ego dixerim reſponſionis titulum: nobis enim, qui Romæ vivimus, non licet eſſe tam beatis, ut libros omnes absque metu & delectu penes nos habere poſſimus; ſed nec mercatoribus ipſis Bibliopolis quidquam huc advehere conceſſum eſt, quod examen ignis perhorreſcat, non modo Lutheranis, ſed etiam Paracelſiſtis ob blaſphemias utrisque communes ſæpe ſæpius intentatum. Quare cum hoc illo nomine atque inſuper vaſto ipſarum pondere Fluddanæ compoſitiones, quibus nunc deferendis vix onerariæ*

tiendæ cauſa ſibi invicem ultro citroque occurrunt, vel ad palatium aut congregationes proficiſcuntur, tanto quidem æmulationis ſtudio ac faſtuoſo vanæ contentionis ambitu, ut plerumque videas unius homuncionis muricem trahere poſt ſe florem delibatum Italicæ nobilitatis, & populo, qui rerum quondam potitus eſt, orbem dum totum victor Romanus habebat, turpiſſimæ ſervitutis jugum imponere.

sufficerent, communi ad nos aditu prohibeantur, fac &c. Hanc vero cumprimis ob causam in urbe, quæ

tantum alias inter caput extulit urbes,
quantum lenta solent inter viburna cupressi,

hodienum bibliopolia adeo sterilia atque bonis libris destituta esse existimo, quod nuper retulit testis ἀνλοπλης Consultissimus atque Clarissimus Joach. Christoph. Nemeitz (*r*). Misere autem isthic locorum agitur cum litteris, ubi eruditorum oculi, mentes manusque onerosa illa gravantur servitute, ut nec legere illis liceat, quæ velint (de probis, non de obscœnis, seditiosis & blasphemis loquor libris), nec scribere, quæ sentiant, etsi sint optima. Merentur & heic repeti Viri ingenui ex ipso Pontificiorum cœtu, Lamindi Pritanii (*s*), querelæ: *Novimus, qui ne sibi confligendum foret cum indocili quorundam Censorum*

(*r*) In Spicilegio memorabilium Italiæ, Germanico idiomate edito, Part. I. p. 221.

(*s*) Lib. II. de ingeniorum moderatione in religionis negotio Cap. 5. p. 266. cit. Celeb. Heumann. in Conspectu Reip. litter. p. 108. edit. recentiss. conf. hujus opellæ Tom. V. p. 28. sq.

rum inſcitia atque impotentia, dimiſſis theologicis ac philoſophicis ſtudiis, ſe totos conjecerunt in eruditionem profanam, unde ſi non aqua laus, certe minus periculi, & plus quietis expectandum fuerat. Non ergo privatis tantum ſtudiis officitur ab hisce Cenſoribus, ſed publicæ etiam utilitati & Eccleſiæ, quæ ſcriptoribus theologisque indiget non aſſentatoribus, dum ſcribunt, neque Zelo immoderato ferventibus, dum judicant, ſed ſolida eruditione refertis, & omni ſuperſtitione & affectu vacuis.

§. XI.

Sed e diverticulo in viam redeundum eſt. Pontificum in perſequendis & pellendis Proteſtantibus, librisque eorum igni addicendis ardorem ſecuti ſunt certatim alii Principes & Epiſcopi. Prolixum foret, cuncta ſolennia librorum incendia hinc exorta enumerare. Paucula ſpeciminis loco ſufficiant. Martinus Epiſcopus Seccoviæ de eradicata in STYRIA ET CARINTHIA religione Evangelica ad illuſtrem quendam Auguſtanum hæc inter cætera A. 1600. perſcripſit (*t*): *Eodem plane modo, ſicut*

(*t*) Has litteras D. Daniel Cramerus vulgavit cum Petri Schargæ Soc. Jeſ. concione de quæſtione: An hæretico ſit fides ſervanda? A. 1602. in 4.

do, sicut & Styria, Carinthia a nobis reformata est: inprimis hæretica templa cum cœmeteriis sectariorumque prædicantium ædibus ubique partim arietibus, partim pulvere tormentario sunt eversa. Prædicantes ubique ex provincia expulsi, uxores pútativæ & concubinæ ab eorum consortio abactæ, illisque reditus ex omnibus provinciis interdictus. — — — *Multa millia librorum hæreticorum publice in variis locis combusta.* Christianis Lectoribus dijudicandum permitto, num fumosa isthæc & Vulcania reformandi ratio mitissimæ respondeat Jesu Christi, Servatoris nostri optimi, indoli, qui non ferro & flamma, sed Evangelii fulgure, sed beneficiorum cumulis, sed inculpatæ atque integerrimæ vitæ exemplo homines ad frugem perduxit, ipse cum suis diriſſimas calamitates, horrenda opprobria, & atrociſſimam mortem infracto animo miraque patientia tolerans, nequaquam renitentibus inferens. Idem fere quod in Styria & Carinthia tum in CARNIOLIA factum esse, edocemur ab Ill. Jo. Weichard Valvasore (*u*). Novimus

(*u*) In topographico-historica descriptione Ducatus Carnioliæ (*Ehre des Hertzogthums Crain*) Tom. I. f. 432. & 467. sq.

vimus quoque A. 1624. in AUSTRIA ſuperiore magnam evangelicorum librorum vim flammis addictam fuiſſe. Non vero tantum Romani coetus aſſeclæ iſthoc libros ſupplicio affecerunt, ſed interdum & alii. En exemplum! Joannes Matthæus, Anabaptiſtarum pſeudopropheta, A. 1535. Monaſterii mandavit, ne quis ullum deinceps librum haberet aut ſibi ſervaret, præter ſacra Biblia, reliquos omnes in publicum deferri, flammisque aboleri jubens (*x*).

§. XII.

Præterea haud paucos libros privata quorundam induſtria, male ſedula, ac publicæ æmula, ignibus dedit. Quis enim dubitet, JOANNEM COCHLÆUM, verbi gratia, complures lucubrationes Melanchthonianas ejusque generis alias in cineres redegiſſe, præpoſtero Zelo abreptum, qui ita Philippum, communem olim Germaniæ præceptorem, publice affari veritus non eſt (*y*): *Vidi heri, quos jam edidiſti, Locos communes, ſeu Hypotypoſes theologicas*

(*x*) vid. Sleidan. Comment. Lib. X. p. m. 271.

(*y*) In Confutatione abbreviata adverſus Didymum Faventinum Phil. Melanchthonis, ſcripta jam A. 1521. ſed A. 1534. demum Lipſiæ in 4. edita, pag. ultima.

gicas, novum plane Alchoranum (z). Qui tanto pernicior erit Babylone Lutheri, si non statim deleatur de terra viventium, quanto est tibi quam illi & stilus suavior & ingenium nobilius, ac major cautiorque ad fallendum citatione scripturarum dexteritas & solertia. Heu infelicem hoc novo partu Germaniam, nisi mox eum velut monstrum nocentissimum perniciosissimamque Syrenem de medio sustulerit. De quo verissime dixerim: Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum. Utinam & animæ tuæ & universæ patriæ nostræ consuluisses melius! Hoc autem factum esset, si librum istum non publicasses, nisi legitime prius examinatum. Nunc priusquam paretur antitodum, serpet hoc per omnia membra venenum. Ego Alchoranum istum tuum vidi solum apud alium, non habeo ipse: utinam eum haberet nemo, nisi ego solus! pro summa certe gloria habiturus essem, ipsum non edidisse, sed mox Vulcano tradidisse, ut hac peste terras

(z) Primam ejus libri editionem ob insignem raritatem & præstantiam Cel. Herm. *von der Hardt* recudi curavit in Historia litteraria Reformat. Part. IV. f. 30. sqq. præmissa præfatione, in qua summa elogia, quibus Viri doctissimi istud opusculum ornarunt, enarravit.

terras, imo animas hominum levarem (a). Lepida ſunt, quæ Romæ circa huncce librum

(a) Præſtantiora forſitan, ſi credere fas eſt, ſunt Cochlæi ſcripta, iſtud præſertim, quod de B. Lutheri vita & rebus geſtis ex meris fere mendaciis conflatum eſt & compoſitum. Extat Pauli III. P. M. Bulla de iis, a quodam Anonymo ſatyrice efficta, & A. 1544. in 8. h. t. excuſa: *Impreſſura Auſcultationis, Protocolli, Bullæ, Papæ, Canoniſationis, Librorum, Cochlei, Chori, S. Bilibaldi, Canonici, cum una grandipenſa epiſtola de modo exponendi ſcripturas.* Nonnulla animi gratia inde in librorum Cochlæi commendationem excerpere juvat. Ita autem Sanctiſſimus Pater ad illum præter cætera: *Nos pietate tua moti duximus, in ſolatium & recompenſam laboris tui tam pii & frugiferi, dictos libros tuos in numerum Canonicorum librorum ponere, &, ſicut digni ſunt, canoniſare. Quos & præſentium tenore approbamus & canoniſamus. Et ne in poſterum ulli dubium relinquatur, quo honore habendi ſint, volumus, decernimus & declaramus per præſentes, ut proxime poſt libros Decretalium & Extravagantes Romanorum Pontificum ponantur, hoc eſt, ſupra decretum Gratiani, qui eſt liber nondum approbatus & canoniſatus. Deinde ſupra omnes libros quatnor Doctorum Eccleſiæ & aliorum Doctorum & ſanctorum Patrum, qualitercunque & quandocunque approbatorum & canoniſatorum. Et ex proprio motu & certa ſcientia ac de plenitudine poteſtatis ſtatuimus, ordinamus & mandamus diſtricte præcipientes in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus Epiſcopis, Canonicis, Presbyteris, & quicunque horas canonicas legere tenentur, ut ſemel in menſe, omiſſis horis canonicis, iſtos libros cum debita attentione legant, etiamſi ſit tali*

tali lectioni integra hebdomada vel plus impendenda. Absolventes virtute clavium tam ordinis quam jurisdictionis omnes ab horis canonicis, pro hac vice duntaxat. Laicis vero Latinum scientibus, ut semel in anno legant, omissis Psalmis, oratione Dominica, toto hortulo animæ, & omnibus devotionibus, & si opus sit, etiam Missis audiendis, exceptis tamen Offertoriis & aliis accidentalibus, quæ solent pro Missis & Vigiliis per annum offerri. Quæ omnino volumus ubique & semper strictissime persolvi, non obstante, quod interim officia cessent, propter istos libros sanctissimos Cochlei legendos, ut discant & sciant omnes Romanam Curiam & Ecclesiam defendere, & hæreticos extirpare. Et quo devotius omnes legant hos libros, dum senserint sese spiritualibus bonis largius refectos, Nos de plenitudine potestatis, qua fungimur de benignitate sanctorum Apostolorum confess, omnibus contritis, etiam attritis tantum & confessis, quando legerint hos libros, toties, quoties, concedimus plenariam remissionem omnium peccatorum a pœna & a culpa, etiam a casibus in Bulla cœnæ Domini reservatis: nec non easdem indulgentias & gratias, quas merentur illi, qui orationes S. Brigittæ orare per annum solent, remittendo etiam pœnas purgatorii in quantum se claves sanctæ Matris Ecclesiæ extendunt. Et ut majore reverentia legantur, nullus sedendo, aut operto capite, sed stando vel genuflectendo, vel ambulando, nudo capite, legat, caveatque, ne dissolutam aut levitatis aliquid eodem faciat tempore, ne scilicet tussiat, vel rideat, vel colloquatur. Si vero riserit, vel tusserit, tundat pectus ter cum devotione. Reliqua adscribere pudor vetat. Cæterum ipse Cochlæus A. 1548. in 8. per Franciscum Behem apud S. Victorem prope Moguntiam typographum suorum operum edidit catalogum, quorum pleraque ita sunt comparata, ut orbem potius iis oneraſſe, quam ornaſſe videatur. Inprimis ejus Commentario de vita Lutheri, per modum annalium digesto, merito accommodari posset illud Catullianum:

brum contigiſſe e Scaligeranis refert Wagenſeilius (*b*), heic quoque legi digna : *Impreſſi erant Loci communes Philippi Melanchthonis Venetiis cum hoc titulo; per Meſſer Philippo di Terra nera. Et illi Loci Communes miſſi Romam, per annum integrum emebantur, & legebantur cum magno applauſu, & jam non amplius reperiebantur, ita, ut oportuerit iterum petere Venetiis. Tandem Franciſcanus quidam agnovit librum, & dixit, ſe habere, eosdem Locos Lutheranos eſſe Melanchthonis. Volebant mulctare typographum, qui non legerat fortaſſe. Ipſi eſt remiſſum, & exemplaria combuſta & ſuppreſſa. Ita ſpectatur, non quid, ſed quis dicat.* Neminem vero novi, qui eum librum, iſtud nominis in fronte gerentem, ſe unquam vidiſſe profeſſus fuerit : hoc autem ſcio, in Indice librorum prohibitorum nigro theta notari damnatisque accenſeri Hippophili Melangæi Theologiæ compendium, quo Melanchthonis locos communes indigitari ſuſpicor.

§. XIII.

At vos interea venite in ignem
Pleni ruris & inficetiarum
Annales Voluſi &c.

(*b*) In Synopſ. Hiſtor. Univerſ. Part. II. p. 590.

§. XIII.

Eandem fortunam sæpius Magni ERASMI ROTERODAMI, quem Bellarminus inter semichristianos retulit, ac Forerus dignum censuit, qui ex omnium hominum memoria erasus esset (*c*), libros fuisse expertos, haud abs re conjicio. Acriter scilicet Vir summus insciti am Monachorum sui ævi, intolerabili junctam fastui, in scriptis suis passim pupugerat, atque ita implacabile in se eorum converterat odium, quod ab illis in posteros etiam, licet multo meliores, propagatum est. En unicum ex recentioribus testem, Arsenium Sulger, Ordinis Benedictini monachum (*d*): *Mortuus est Basileæ 2. Julii* (A. 1536.) *Desiderius Erasmus Roterodamus, vineæ Dei callida devastatrix vulpecula, alter Lucianus, cui & merito potuisset pro epitaphio inscribi.* (*e*) *ERAS-MUS. Nec scio, uter Catholicæ pietati*

(*c*) Vid. Wagenseil. l. c. p. 592.

(*d*) In Annalibus Imperialis Monasterii Zwifaltensis. Part. II. p. 128. sq.

(*e*) Poterat hic Sulgerus meminisse inepti & claudicantis ejusmodi Epitaphii, Erasmo scripti:

Hic jacet Erasmus, qui quondam bonus erat mus,
Rodere qui solitus, roditur a vermibus.

Vid.

tati plus damni dederit Lutherus, an ejus prodromus Eraſmus, ille palam inſaniendo, iſte clam virus evulgando: certe ſola ejus colloquia plus quam Chaldaicis flammis digna pronuncio, quæ quo demulcent blandius, perimunt inopinatius, & dulce venenum tam diſſimulanter inſtillant, ut non citius te perire ſentias, quam periiſti; fuit olim Eremita Auguſtinianus

---

Vid. Menagian. Tom. III. p. 374. edit. Pariſ. 1715. Sed præſtantiori epicedio digniſſimum cenſuit eum ex ipſo Pontificiorum cœtu Georgius Wicelius, qui in appendice conqueſtionis de calamitoſo in præſens rerum Chriſtianarum ſtatu, Lipſiæ A. 1538. in 4. editæ, ejus honori litavit, adjectis nonnullis epitaphiis, quæ partim ipſum partim alios auctores agnoſcunt. In præfatione graviter invehitur in eos, *qui virum, quo nullus unquam mortalium* (ipſa ejus verba legis) *melius de humano genere mereri poteſt, vituperant, haud aliter, ac ſi inferior etiam fuiſſet Lombardis, Thomis, Albertis, Scotis, Hugonibus, & his ſimilibus Ariſtotelicæ theologiæ authoribus.* Plura in ejus laudem ſcripta carmina exhibet Nicolaus Reuſnerus in Imaginibus virorum literis illuſtrium, Argentor. A. 1590. vulgatis, p. 70. ſqq. e quibus præſertim placet iſtud, quod iconi ejus ſubjecit Theodorus Beza:

Ingens ingentem quem perſonat orbis Eraſmum;
Hæc tibi dimidium picta tabella refert.
At cur non totum? mirari deſine Lector:
Integra nam tantum terra nec ipſa capit.

Confer, ſi lubet, quæ in honorem Viri laudatiſſimi diximus Tom. I. p. 223. ſqq.

nus, & teste Brietio Monachorum hostis acerrimus. Fertur quoque exspectatione Cardinalitiæ dignitatis, ad quam illum Paulus III. evehere cogitaverit, retentus ab aperta fidei Catholicæ ejuratione; adeò etiam honores malos exterius in officio continere quandoque possunt, ne appareant saltem pessimi. Neque vero mirandum, tam exosas esse Monachis Erasmi lucubrationes, cum eas ipse Vaticanus Præsul, Paulus IV. rogo publice injiciendas Romæ curaverit: de quo alio tempore plura (*f*).

§. XIV.

Quo animo in libros, sanctissima purioris religionis dogmata complectentes, fuerit Joann. Joach. SCHOBERUS, ex Franciscanæ familiæ Monacho Evangelii Minister Palæo-Dresdensis, sed deinde relapsus & ad pristinos errores reversus, hæc ejus venenata & ex ipsis orci faucibus petita verba (*g*) nos edocent: *Gibet der barmherzige*

(*f*) Vid. interim J. H. Hottingeri Histor. Eccles. N. T. Tom. IX. p. 408.

(*g*) In litteris Romæ A. 1655. d. 12. Aug. datis, quæ cum aliis & animadversionibus A. 1658. in 12. typis exscriptæ sunt sub titulo: BARNABAS (hoc enim

herzige Seelen-Hirte Chriſtus dieſem unſerm jetzigen heiligen Vatter Alexandro, Römiſchen Pabſt, und wahren ſichtbarlichen Hirten der glaubigen Herde Gottes das Leben: ſo verhoffe ich noch manche Predigt (wann ich anderſt von Gott das Leben habe) auf etlichen Cantzeln, auf welchen die Lutheriſchen Lügenmeiſter (Prædicanten) *jezt ſchreyen, und die armen Seelen durch ihre Lügen-Predigten verführen, und zum Teuffel ſchicken, auf gut Römiſch Catholiſch zu thun, und alſo noch manches Lutheriſches Buch nicht allein zu zerreiſſen, ſondern auch öffentlich zu verbrennen. Denn es iſt einmal wahr, und der allgemeine jüngſte Tag wird es offenbaren, daſs nicht allein Luther und ſeine Bücher, ſondern auch alle, die deſs Luthers Ketzerey anhangen, und darinnen verſtockt verharren, dem ewigen Feuer zur Speiſe verordnet ſeyn.* Bona verba, quæſo, Schobere!

enim nominis antè ſuum ad nos ſeceſſum geſſerat Schoberus) FUGITIVUS. Concio contra ejus revocatoria Wittebergæ A. 1652. d. 11. Jan. habita hunc gerit titulum: BARNABAS SEGREGATUS. In ea vero Romani cœtus antiſtites tot nefandorum & atrociſſimorum flagitiorum inſimulavit, ad propriam ſæpe experientiam provocans, ut valde mirer, eum ad ſuos redire auſum eſſe.

Credo equidem, ingenti tactus veroque dolore,
Irrueres in nos ipsos, ignique libenter
Corpore nostra dares; quoniam vero ista facultas
Non datur, admittunt tantum nec fata furorem,
Irruis in libros, istos lacerasque cremasque:
Ut lapidem jactum mordet canis improba, quando
Non potis est rapido jacientem ladere dente.

§. XV.

SOCIETATIS Præsertim IGNATIANÆ sodales in librorum exustione se egregios esse artifices, pluribus sat luculentis speciminibus, cum alibi sæpius, tum non ita pridem Thorunii editis, ostenderunt. (*b*) Neque

(*b*) Plura fortassis huc pertinentia habentur in libro, cujus hic titulus in Bibliothecæ Kryfianæ Catalogo, Part. II. p. 64. & 80. exhibetur: *Les Enluminures du Fameux Almanach des Jesuites, intitulé la déroute & la confusion des Jansenistes, ou triomphe de Molina sur S. Augustin avec l'Onguant pour la Brulure, & le secret d'empecher aux Jesuites de Bruler des Livres.* Liege 1683. in 8.

Neque diſſimulant, id curæ ſibi cordique eſſe, ut hæreticos, quos nuncupant, libros aboleant, ac in favillas vertant, ſingularem inde captantes gloriam. Hinc Franciſcus Montanus in Apologia pro iis edita (*i*), *ſolent*, ait, *Jeſuitæ diligenter in id incumbere, ut libri impii & ab hæreticis ſcripti flammis abſumantur.* Et Jacobus Gretſerus in ſuo de jure & more prohibendi, expurgandi & abolendi libros hæreticos & noxios opere ex inſtituto iſtud comburendi ſtudium defendere & majorem in modum commendare anniſus eſt, inter reliqua truci hoc claſſico omnes in certamina contra libros innocuos (*k*) vocans: *Quivis exiſtimet, jam ſibi dictum eſſe: colligite Zizania (hæreticorum volumina) & alligate ea in faſciculos ad comburendum. Inſanient quidem zizaniorum ſatores & ſautores, cum hoc incendium viderint; ſed non tam inſanientium, quam aliorum, ne pariter inſaniant, habenda eſt ratio. Habebitur autem vel maxime, ſi pernicioſi libri in cineres vertantur, ut factum olim, noſtroque tempore, & nuper adeo pulſis hære-*

(*i*) Apud Heilbrunner. in Rel. Poſt-Coll. Ratisb. Præf. p. 24.

(*k*) Lib. II. C. XIII. p. 376. & 379.

hæreticorum magistris ex Stiria & Carinthia &c. — — — Cum D. Augustinus in maxima carnis & spiritus lucta versaretur, nec sciret, quo se verteret, vox ad aures ejus accidit: tolle, lege: tolle, lege. Tu quisquis salutem tuam amas, hanc vocem auribus tuis hanc admonitionem accinere cogita: TOLLE, URE, TOLLE, URE. Quilibet liber hæreticus similis est mulieri illi ornatu meretricio præparatæ ad decipiendas animas &c. Nempe vestigiis Ignatii sui, Ordinis conditoris, insistunt, quem Nicolaus Orlandinus (*l*) luculentam librorum hæreticorum, ad decipiendos quosdam Jesuitas honesto eleemosynæ nomine Romam ab hæreticis missam, flammis mandari jussisse memorat, de Possevino quoque narrans (*m*), eum, postquam Lugdunum venisset, primum omnium egisse effecisseque, ut pestilentium farrago voluminum, Geneva comportatorum, & non per Galliam modo ferendorum, verum etiam

(*l*) In Histor. Societ. Jes. P. I. L. II. n. 8. p. 338. cit. Dan. Franco in Disquisitione de Papistarum Judicibus librorum prohibitorum & expurgandorum Cap. II. p. 25.

(*m*) Ibid. P. II. l. 6. n. 44. p. 314. cæterum confer, si placet, quæ dixi Tomo II. hujus opellæ p. 379. sq.

etiam Conſtantinopolim ad orientem verſus mittendorum, flammis aboleretur. Hinc fortaſſis Jacobus Cujacius, ICtorum facile princeps, teſtamento ſuo moriturus cavit, ne quis librorum ſuorum Jeſuitis vel pretio, vel gratis manciparetur (*n*).

§. XVI.

Propemodum neglexeram, ſuum, quem meretur, inter librorum incenſores concedere locum Franciſci PETRARCHÆ parenti, is animadvertens, filium, quem juris ſtudio, utpote lucroſiori & faciliorem ad ſummos honores viam pandenti, addixerat, omni animi impetu in litteras, quas vocant, elegantiores ferri, manuque diligentiore Ciceronem, Virgilium & ejus commatis alios, quam Juſtiniani codicem verſare, indignatus ad filium Bononiæ agentem contendit, illoque diris verbis increpato ignem accendi juſſit, ut quotquot is haberet libros Ciceronis & poëta-

(*n*) Vid. Franc. l. c. In ſuis Bibliothecis Jeſuitas hæreticorum libros non inter alios, ſed ad ſiniſtram collocare, & quidem atris pellibus, atris membranis ligatos, & atro colore deſuper tinctos, refert Hoſpin. in hiſt. Jeſuit. p. 209. Sunt, qui eum locum ab illis INFERNI titulo inſigniri dicant.

rum omnes combureret, & cum jam aliquos accensus ira igni mandasset, cum Rhetoricam Ciceronis & Virgilii opus manu teneret, non amplius ferre potuit egregius juvenis innocuos talem injuriam pati, genubus flexis, lacrymisque precibus admixtis, ut tantum nefas ne faceret, & a tam indigna re abstineret, & si quid esset peccati, a se, non ab illis claris viris pœnas exigeret, exorat, obtestatur, adjurat, & patrem amplectitur, osculatur, pollicendo non amplius illos legere. Atque ita Ciceronem & Virgilium, pene jam incendio adustos, vix servavit eximiæ indolis, ac indulgentiore parente dignus adolescens (*o*). Memorabile denique sed æquiori animo, quam modo dictum, ferendum est librorum incendium, cujus notitiam Clar. Dan. Franco (*p*) debeo, qui illud e paucorum foliorum

(*o*) Vid. Hieron. Squarzafichi Vitam Petrarchæ, a Clar. Ackero luci restitutam, nobisque illustratam p. 32. sqq. Cæterum quam gratiam ipsi rependerit Cicero, ei ab ineunte ætate tam charus semper & tam cultus, vel potius volumen epistolarum ejus ingens, lævo cruri vulnus non sine sequenti cruciatu & periculo infligens, ex ipso Petrarcha Epist. Famil. Lib. XII. p. 440. edit. Lugd. A. 1601. discere haud injucundum erit.

(*p*) l. c. Cap. III. p. 33.

foliorum libello (*q*) ita deſcriptum dedit: *Dominicaſtri Lovanienſes curaverunt ſuis pecuniis, ut opera Lutheri incinerarentur. Concurſus factus eſt, plures apportarunt libros, ſed non Martini. Studentes itaque & plerique alii parato jam igne libros comportant, ille ſermones Diſcipuli, aller Tartaretum, hic Dormi ſecure, Paratum, & alios id genus. Ut plures ex illorum autoribus combuſti ſint, quam ex operibus Martini Lutheri. Venit poſtremo Carmelita nequiſſimus, & poſtpoſita verecundia, quo animum ſuum iniquiſſimum cunctis patefaceret, in ignem publice & cineres urinam projecit, videns hoc Braſſicanus junior, qui tam nefario ſpectaculo aderat, fratrem obſervat redeuntem ad monaſterium, qui cum vellet intrare, apprehenſo pallio fratris, & gladiolo extracto, huc huc mecum perge frater, calcans, percutiens, & ſemivivum reliquens abiit.*

(*q*) A. 1521. absque mentione loci & typographi impreſſo h. t. *Deſ. Eraſmi Axiomata pro Luthero? Oecolampadii judicium de Doctore Martino Luthero. Quidam Aphorismi Lutheri rem continentes &c.*

§. XVII.

Singulares jam enarrare animus est libros, qui vel hominum fatorum atrocitate Vulcano destructori in prædam cesserunt (*r*). Roma, triumphati orbis domina, quum A. MDXXVII. a Caroli V. exercitu duce Borbonio capta diriperetur, irreparabilem quoque fecit res literaria jacturam. Neque enim tum ingeniorum monumentis, æternitate dignis, pepercit furibunda militum immanitas, sed non in Vaticanam duntaxat Bibliothecam, copiosissimam & incredibili sumtu studioque a Nicolao V. potissimum & Sixto IV. PP. MM. congestam, teterrime sæviit (*s*), verum etiam

(*r*) Alios ejus generis recensuit Celeb. Andreas Westphalus in præf. Diss. de libris publica auctoritate combustis pag. 5. sqq. conf. si placet, quæ dixi Tom. II. p. 382. sq. & 394. sqq. FRANCISCUM PHILELPHUM Ciceronis librum, qui deperditis accensendus est, de Gloria a se inventum combussisse, ne plagium ejus detegeretur, post Varillasium tradidit Æg. Menagius. Sed fabellam hanc refutavit Bælius in Diction. art. ALCYONIUS vid. Menagianorum Tom. III. p. 163. sqq. edit. Paris. A. 1715.

(*s*) Bibliotheca in Vaticano, *die grosse Liberey, welche Nicolaus V. angefangen, und Bapst Sixtus mit alten Griechischen und Lateinischen Büchern gezieret hat*,

etiam in alias plurimas. Quis vero dubitet, ea tempeſtate numerum interiiſſe operum, ab eruditis publicæ luci deſtinatorum, inexputabilem? Unicum ſiſtere tibi libet ob oculos exemplum, idque verbis Jo. Pierii Valeriani (*t*): *Non minus crudeliter occubuit AUGUSTUS VALDUS, Patavinus civis, qui Romæ per tot annos bonas literas tantis ab eo vigiliis, ſudoribus & peregrinationibus acquiſitas profeſſus erat, qui non ſolum voce, verum etiam ſcriptis eruditionem omnifariam ab interitu vindicabat: quam autem miſerabili mortis genere vitam finiit? Incidit enim in Romanam cladem Hiſpa-*

bat, iſt gar verwüſt, und alle Bäpſtliche Bullen und Brieff verbrennt, zerriſſen und zu nichten gemacht, daſs alle Gaſſen voll Bullen, Brieff und Bücher lagen, den Roſſen in S. Peters und andern Tempeln untergeſtreuet worden, und iſt alles, was man für heilig hielte, zu Schanden worden. Es iſt auch ſo gar nichts gantz blieben, daſs auch das alte Bild Lacoontis, welches Kayſer Titus in ſeinem Hauſs gehabt, auſs einem gantzen Marmorſtein kunſtreich gehauen, und in ſo vielfältiger Römiſcher Zerſtörung biſsher hinkommen, ſo Bapſt Julius mit groſſem Geld kaufft, und in ſeinem Luſt-Garten, Belvidere genannt, geſezt hat, jezt zerbrochen worden. Verba ſunt teſtis αὐτόπτου Adami Reiſneri in Hiſtoria Georgii & Caſp. Frundsbergiorum, edit. Francof. 1568. f. 113.

(*t*) Lib. I. de litteratorum infelicitate pag. 286. edit. Lipſ. 1707.

Spanorum illam & Germanorum prædonum sævitiam acerbissimam, cujus ante oculos direpta domo, ipse in vinculis habitus, pretiosissimam librorum suppellectilem, laboresque illos suos, quos præsertim in Plinium elucubrabat, coram dilacerari, & in usum culinæ incendi conspexit, & in eo mœrore omnibus aliis incommotis conflictatus propter arrogantem eorum crudelitatem, quibus nihil unquam fuit improbius, dum modicæ fortunæ vir insatiabilem barbarorum sitim tributis explere nequit, qui omne senectutis suæ viaticum jam excusserant e loculis, post cruciatus varios fame demum consumtus perhibetur. Idem Pierius (*u*) ANTONII MAROSTICI, a sui ævi eruditis in deliciis habiti, miseranda deplorat fata; eumque repentina epidemiæ contagione extinctum eo afflictiore conditione fuisse commemorat, quod pleraque ejus scripta, quæ vitam illi dubio procul reparare potuissent, una cum reliquo instrumento, ut moris est, ad expurgandam morbi ejus contagionem concremata sint.

§. XVIII.

(*u*) l. c. p. 277.

§. XVIII.

Per deformem Vulcanum ſi ſtetiſſet, careremus hodie inſigni monumento hiſtorico, Annalibus ſcilicet Hirſaugienſibus JOANNIS TRITHEMII, Viri tot nominibus de Orbe literato bene meriti. Eorum etenim autographum poſt longos in exilio errores, hoſpitium peregrinis quærens in oris, tandem flammis miſere ſucubuit. Magnas vero ab omnibus bonis iniere gratiam Monaſterii Sangallenſis inquilini, quorum ſedulitas a multis retro ſeculis celebrata rediviva hodie eſt in Rev. P. Bernhardo Franco, ejus Monaſterii Capitulari, Theol. Profeſſore & Bibliothecario doctiſſimo, qui nuper cum aliis, tum præſertim peregregia diſſertatione hiſtorico-critica de auctore translationis & paraphraſeos Theotiſcæ Pſalterii Schilterianum Antiquitatum Teutonicarum Theſaurum exornarvit. Ii namque bono auſpicio opus, antequam in cineres laberetur, a ſe deſcriptum, ſui Monaſterii typis, laudabili certe conſilio, A. MDCXC. in folio excudi curaverunt. Repetere heic ex præfatione juvat hiſtoriam libri, ætatem ferre digni : *Frementibus Proteſtantium & poſtea Suecorum*

Suecorum armis, verus & unus hic unio pulsos Hirsaugia Monachos & Abbatem Wunibaldum comitatus est ad Vineas (Weingartense Monasterium) tanquam ad sinum & concham, sed cum grassante indies jamjam in Suevia viscera bello inter manubias Martis rapi formidaret, securitatis ergo in Helvetiam ad nostrum D. Galli Asceterium ex tot procellis elapsus appulit, ex quo dein sagaci industria apographum nostrum exemplar descripsimus, eundemque jam alteri ruinæ, quam dicemus, imminentem ab interitu vindicavimus. Eo *adhuc madido & vix completo, avocatur rursus, & alio portu quæsito naufragium reperit. Ut enim tutius lateret, Blumenegga castro in Walgoja sito una cum ultimo Hirsaugiensi Abbate Wunibaldo immigrat. Invida & infida sors! Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim. Declinato feliciter Marte, Vulcano spolium infeliciter cessit Trithemii Chronicon, post tot pericula & sortis insidias quiete incassum quæsita: repentino etenim exorto incendio cum universis aliis Hirsaugiensium documentis, priusquam in lucem prodiit, in flammam & cineres abiit, Wunibaldo vix illæso, & paulo post animam doloris acerbitate victam efflante. Audio quidem, jam antequam castrum flammis absumeretur, jussu & impensis Sereniss.*

niſſimi Ducis Bavariæ & Electoris Maximiliani pleraque ex documentis deſcripta, Monachiumque deportata fuiſſe, quæ nunc ævi fortaſſis in Electoris Bibliotheca Monacenſi reperire liceat. Quievit hactenus ſub umbra Bibliothecæ noſtræ Sangallenſis Trithemii Chronicon, ſurgit nunc tanquam e cineribus (autographum enim, ut diximus, in cineribus Blumeneggianis ſepultum) redivivum, animante editionem ejus R. & Clariſſ. P. Jo. Mabillono Monacho S. Germani Pariſ. quem lares vel potius tutelares noſtros inviſentem in S. Gallo vidimus, nec ſine ſenſu ſuavitatis recordamur. Viſo is apographo noſtro Chronici Hirſaugienſis, quaſi reperto theſauro exultans, mox editionem ejus impenſe ſuaſit & perſuaſit, quem Ἐργοδιωκτην *hujus lucubrationis nuncupari non gravate fero, ſed potius in acceptis habeo.* Ejusdem quoque Trithemii Steganographiæ αὐτογραφον flamma hauſit, quippe quod, ab ipſo olim auctore Philippo Electori Palatino oblatum, tanquam magica refertum δαιμονομανιας, Franciſcus Huſitus, Vir cæteroquin doctiſſimus, cum bibliothecam Heidelbergenſem curaret, immerito combuſſit (*x*). Dudum enim magicæ Impietatis

(*x*) Vid. Conring. Epiſt. ad Boineb. de Biblioth. Auguſta p. 244. Coll. Schmid.

pietatis maculam feliciter ab eo abstersit Principum omnis ævi eruditissimus, Augustus, Sereniſſimus quondam Brunſvicenſium & Luneburg. Dux, in Cryptographiæ Syſtemate, & poſt eum Jo. Caramuel Lobkowitzius, aliique. Ipſius vero Trithemii apologiam pro ſemet ſcriptam non ita pridem Cel. Colerus in Anthologiæ ſuæ Tom. I. Faſc. I. p. 41. ſqq. exhibuit.

§. XIX.

Quos R. SCEMUEL BEN MEIR, per literarum compendium רשׁ"בם vocari ſolitus, nepos Raſchii, in Gemaram ſcripſit commentarios, ſuperſtite adhuc avo ſuo, hic ob eorum prolixitatem ira correptus in illius conſpectu combuſſiſſe fertur, quod tamen alii factum eſſe negant (y). GERSONEM quendam literis Rabbinicis ſed lingua Germanica librum de finibus ſive regionibus terræ Iſraëliticæ ſcripſiſſe, ineunte ſeculo XVII. a duobus Judæis Polonis, varias Orbis partes pervagatis, Lublinum delatum typisque excuſum, ſed conſilio ſapientum flammis deletum, teſtatur Menaſſes

(y) Vid. Cel. J. C. Wolffii Bibliotheca Hebræa. Part. I. p. 109.

Menaſſes ben Iſrael (*z*). Putidiſſimis & anilibus fabulis refertus eſſe dicitur liber iſte, quarum vel ipſos Judæos puduit, niſi, quod Summe Rever. Wolfio (*a*) probabilius videtur, ideo Rabbini Poloni animum ab eo alienum teſtati fuerint, ne Chriſtianorum odium illo libello arrogantiam faſtumque ſpirante ſibi conciliarent. Recuſus tamen eſt in vico Furthenſi A. MDCXCI.

§. XX.

SAMUELIS PRZIPCOVII de Przypcowice, Equitis Poloni, Hiſtoriam Eccleſiarum Unitariarum Regni Poloniæ MS. incendio periiſſe in exilio ipſius, in quod religionis ergo, perſecutione ingruente, abire coactus eſt, obſervat Chriſtophorus Sandius (*b*), ſimul, ejus perſecutionis tempore haud parvam & aliorum illum eſſe paſſum jacturam, notans. Idem Joannis Ludovici WOLZOGENII, Auſtriaci, Liberi Baronis in Tarenfelt &c. commentarios in quatuor Evangeliſtas & Epiſtolas Paulinas, Germanice ſcriptos, a quibusdam qui proprium

(*z*) In Spe Iſraëlis Cap. X. p. 40.
(*a*) l. c. p. 284.
(*b*) In Bibliotheca Anti-Trinitariorum. p. 126.

prium potius quam publicum quærebant commodum, flammis abolitum tradit (*c*), ita ut nunc ex commentariis in epistolas Apostoli nihil præter titulum ac vitam S. Pauli, latine redditam & Bibliothecæ fratrum Polonorum insertam, supersit. Venerabilis Abbas Jo. Fabricius (*d*), illos, ne lucro Bibliothecæ Fratrum Polonorum officerent, ejus editorem igne absumsisse, observat.

§. XXI.

Arnoldus BOHYRÆUS, cum in universum Aristotelem luculentos commentarios, fœturam complurium annorum, editurus proxime esset, tot laboribus malitiose injecta flamma, spoliatus momento est, teste Theophilo Raynaudo (*e*). Commemoranda etiam heic sunt Inscriptionum Romanarum, Jani Gruteri cura evulgatarum, fata, quæ ex ejus vita, a Flaydero conscripta ita recensuit B. Spizelius (*f*):

Cum

(*c*) l. c. p. 138.

(*d*) In Histor. Biblioth. suæ P. II. p. 75.

(*e*) De Bonis & malis Libris p. 322. apud Spizelium in Felici Literato, ex infelicium periculis & casibus. p. 996.

(*f*) l. c.

Cum primo omnium MARTINUS quidam SMETIUS Brugenſis, ſexennio integro totam Italiam pervagando, Inſcriptiones tales collegiſſet, & Doctorum aliquot auctorum auctariis locupletatas in ordinem ſumma diligentia redegiſſet, inopinatum incendium opus illud illuſtre conſumpſit, atque univerſum fere Smetii laborem caſſum reddidit, remanentibus ſolummodo uno & quinquaginta foliis, in ſcrinio quopiam ſeorſim cuſtoditis. Mox cum de integro illud periculoſæ adeo aleæ plenum opus Smetius eſſet aggreſſus, reſtitutumque ſecum avehere conſtituiſſet, inter vias ab Anglis militibus, qui Oſtendæ præſidium agebant, nefarie eſt abreptum, ipſo Smetio ad Bruxellas, quod reformatæ religionis ageret concinatorem, a furibundis militibus crudeliſſime ſuſpenſo. Periiſſet cum ipſo opus inſigne, ni Janus Douſa, Legatus ab Ordinibus Belgii in Angliam miſſus, forte fortuna in Angli militem operis venditorem incidiſſet, emtumque illud & in patriam transportatum Grutero conceſſiſſet divulgandum. Parum abfuit, quin ſilentio prætereiſſem JULII CÆSARIS SCALIGERI (g) oratio-

(g) Ediderat is antea orationem pro Cicerone contra Ciceronianum Eraſmi, qui illam refutans, ejus auctorem

nem de optimo dicendi genere pro Ciceronе contra Eraſmum ſcriptam, atque Lutetiæ apud Vidoveum cum epiſtola quadam Eraſmi editam, cujus exemplaria omnia per emiſſarios & ὠλακεζας ſuos magnis ſumtibus conquiſita flammis aboleri curaviſſe Eraſmum teſtis eſt Joſephus Scaliger, qui unum ſe duntaxat exemplar Aginni reliquiſſe, neque ullum præter illud nanciſci aut videre potuiſſe tradit (*b*). Ad extremum nec reticendus eſt liber, per miraculum, ſi Diis placet, crematus, nonneminis ſcilicet profeſſio fidei, quam Conſtantinus Pont. Max. Romæ in templo S. Petri in Vaticano ad eum locum, ubi pars corporum DD. Petri & Pauli ſepulta perhibetur, examinis veluti cauſa, depoſuit, ſed rediens deinde combuſtam reperit, quod ab auctore invito & aliud ſentiente edita atque conſcripta eſſet (*i*).

§. XXII.

---

auctorem Scaligerum fuiſſe negare auſus eſt, quia monitus erat, eum fere ſemper militaſſe. Quod coëgit Julium aliam, de qua heic loci nobis ſermo eſt, orationem ſcribere, qua ſe prioris auctorem aſſeruit.

(*b*) In Confutat. fabulæ Burdonum p. 263. ſq. edit. Lugd. Bat. A. 1608. in 12.

(*i*) Traduntur hæc in libello, fabellarum hujuscе furfuris pleniſſimo, Germanico ſermone ſed litteris latinis

§. XXII.

Ad eos tandem progredior, qui variis ducti rationibus ipſi ſuas lucubrationes in rapidos abire fumos juſſerunt. In hanc

---

nisRomæ tertia vice in officina Franciſci Cavalli A. 1628. in 8. impreſſo h. t. *Wegzeiger zu den wunderbarlichen Sachen der Heidniſchen etwan, nun aber der Chriſtlichen Stat Rom &c. durch Hermannum Bavinck Metelenſem des Biſtums Münſter in Weſtphalen Prieſter der Kirchen S. Mariæ de anima.* Quæ retuli, habentur p. 26. ubi & inter alia narratur, Leonem I. Pont. Max. illa, quæ contra hæreticos ſcripſerat, atque eodem loco S. Petro corrigenda obtulerat, emendata inde deportaſſe. Speciminis loco ex tot comentis, inibi traditis, unius tantum adhuc meminiſſe juvat. Pag. 116. ſq. auctor aſſeverare haud dubitat, Romæ ultra ſexaginta templa cuſtodire genuina crucis Chriſti fragmenta: alia præterea Florentiæ, Venetiis, Neapoli, Genuæ, Mediolani, plura denique in Hiſpania, Gallia, Bohemia, Hungaria, Polonia, Anglia & Germania adſervari: quod ſcilicet ſanctiſſima iſta crux per prodigium, ſicuti quinque panes hordeacei, creſcat & augmenta capiat. *Iſt wol zu glauben, das daſſelb heiligſte Creutz ſich mehre und wachſe wie die fünff Gerſten-Brodt, es wär ſonſt nicht möglich, das von ihm allenthalben gefunden würde, dann es iſt, wie jener ſchreibt, nicht länger geweſen, als fünffzehen Fuſs und acht ſeine Breite.* Meum exemplar religioſus aliquis peregrinator Romæ eleemoſynæ loco accepiſſe videtur. Hæc enim in averſa tituli facie leguntur manu exarata: *Ill. mi Card. Burgheſii* (Scipionis ſcil. Germaniæ tum protectoris) *Eleemo-*

claſſem Cel. Weſtphalus (*k*) retulit Jo. Picum, Laurentium Gambaram, Benedictum Patinam, Jo. Bodinum, Waltherum Raleighium, Claudium Salmaſium, Chriſtianum ab Hofmannswaldau, Benedictum Spinozam, Andream Mullerum, Caſimirum Oudinum, Du Clos, Roſſi, & Wilh. Ern. Tenzelium. Miſſos itaque hos faciens, tribus tantum exceptis, de quibus notabilia quædam per ſpicilegium adjicienda in promtu ſunt, alios enumerabo. Fuere videlicet, qui poëmata juvenilia, amoribus ſuis deſtinata, tandem pœnitudine ducti flammis abolenda cenſuerunt. Agmen eorum jure quodam ſuo ducat PLATO, Philoſophorum priſci ævi façile coryphæus. Is carmina, a ſe juvene amoribus dedito licentiore calamo effuſa, maturior & gravioribus ſtudiis incumbens, igne obliteraſſe traditur; quanquam Plutarchus hoc eum propterea feciſſe ſcribat, quod Homeri elegantiam & majeſtatem aſſequi ſe haud poſſe animadverterit. Pariter AVERROES, Arabum fami-

Eleemoſynarius adm. R. D. Ludovicus Fattorinus S. Marci Canon. &c. me ſimul cum argenteis d. d.

(*k*) l. c. p. 9. ſeqq.

famigeratissimus, poëmata, quæ adolescenti cœci Cupidinis ignes extruserant, calidis focis torrenda, ne post fata ideo vel laudaretur vel reprehenderetur, dedit, (*l*) atque ita *sævis compescuit ignibus ignes* (*m*). Nescio, an huc quoque referendus sit METROCLES, qui libros suos itidem rogo ipse injecit, hoc iis epicedio parentans:

Τα δ' ἐς' ὀνειρων νερτέρων φαντασματα.

Hæc somniorum sunt phantasmata.

§. XXIII.

Platonis exemplum imitatus est JOANNES PICUS, Comes Mirandulanus, ob rarissimas dotes & omnigenæ eruditionis copiam sui seculi Phœnix cognominari meritus. Eum præter exquisitam animi indolem concinna quoque corporis venustas & gratus in ore vigor roseumque faciei decus præclare ornaverat, quæ egregiæ blandi-

(*l*) Vid. Historie *der Gelehrsamkeit unserer Zeiten.* Part. I. pag. 24. ubi de ejus vita scriptisque disseritur.

(*m*) Ita Ovidius Metam. II. v. 313. de Jove Phaëtontem fulmine percutiente.

menta formæ plures fœminas flagrantissimo in eum amore inflammarunt : Iis vero non semper ita restitit adolescens, ut æstuantis vicissim pectoris incendia strenue compesceret, ac dulces istarum generoso contemtu vindicaret illecebras ; sed victas interdum manus Veneri dedit, totus alias a teneris Musarum oestro percitus. Verum obtrectatorum invidia per nongentas de dialecticis & mathematicis, de naturalibus divinisque rebus quæstiones ab ipso viginti annorum juvene Romæ publicæ ventilationi propositas ei conflata, ad meliorem frugem redactus, alium prorsus induit animum. Testatur id ejus patruelis Jo. Franciscus Picus hisce verbis: (*n*) *Prius & gloriæ cupidus, & amore vano succensus, muliebribusque illecebris commotus fuerat : fœminarum quippe plurimæ ob venustatem corporis orisque gratiam, cui doctrina amplæque divitiæ & generis nobilitas accedebant, in ejus amorem exarserunt, ab quarum studio non abhorrens, parumper via vitæ posthabita, in delicias defluxerat : verum simultate illa experrectus, diffluentem luxu animum retudit, & con-*

(*n*) In illius vita, selectorum aliquot Virorum Vitis a Guil. Bateso inserta. p. 93.

& convertit ad Chriſtum, atque fœminea blandimenta in ſuperna patriæ gaudia commutavit, neglectaque aura gloriæ, quam affectaverat, Dei gloriam & Eccleſiæ utilitatem tota cœpit mente perquirere, adeoque mores componere, ut poſthac vel inimico judice conprobari poſſet. Jacobus Gaffarellus in Codice quodam manu exarato & coævo Margaritam quandam, quæ Picum deperierit, nominari obſervavit (*o*). Carmina igitur, quibus de amoribus ſuis jocatus fuerat, in quinque libros digeſta, in lucem editurus, Angeli Politiani judicio ſubmiſit, ſed ea deinceps, licet miris ab iſto laudibus prædicata, pœnitentia ductus, religionis cauſa ignibus tradidit, multos itidem ejus genii rhythmos Hetruſcos (*p*). Quo intellecto Politianus eorum manes hocce leſſu proſecutus eſt (*q*): *Audio te verſiculos amatorios, quos olim ſcripſeras, combuſſiſſe, veritum fortaſſe, ne vel tuo jam nomini, vel aliorum moribus officerent: non enim puto, quoniam minus*

(*o*) In Codicum Cabbaliſticorum MSS. quibus eſt uſus Joannes Picus, Indice, a Cel. Wolfio Bibliothecæ Hebrææ Parti I. annexo, p. 6.

(*p*) Vid. Jo. Franc. Pic. l. c. p. 94.

(*q*) Epiſtol. Lib. I. p. 14. edit. Baſil. A. 1542.

nus exierint apte, sicuti Plato suos dicitur. Nam quantum repeto memoria, nihil illis tersius, dulcius, ornatius. Quos quia vocabas amores tuos, placuit mihi nuper velut in amores ipsos abs te crematos ita ludere Græcis versibus :

Πολλακις, ἰοξευθεις, φλεχθεις θ' ὑπο Πικος Ἐρωτων,
Οὐκ ἐτλη πρoτερω, παντα δ' ἀφειλεθ' ὁπλα,
Τοξα, βελη, φαρετρας, και νικησας τα γε παντα
Ηψεν ὁμα σωρον λαμπασι ληιδιοις.
Συν δ' αὐτας μαρψας, ἀμενηνα χερυδρια δησεν
Ταις νευραις, μεσσῃ δ' ἐμβαλε πυρκαϊῃ,
Και πυρι φλεξε το πυρ. Τι δ' ὠ ἀφρονες αὐτον Ἐρωτες
Τον Πικον, μεσων εἰσεποταθε προμον ;

Quod elegans epigramma, in Angeli Politiani Operum editione, Lugduni per Sebast. Gryphium A. 1533. in 8. curata (*r*), ita Latine ad verbum redditum legitur :

Sæpe sagittatus, incensusque Picus ab amoribus
Non pridem toleravit, sed omnia abstulit arma,
Arcus,

(*r*) Tom. III. p. 370.

Arcus, ſagittas, pharetras, & congregans hæc omnia
Accendit ſimul acervum flammis edacibus.
At ipſos comprehendens, debiles manus ligavit
Nervis, medio vero injecit igni.
Et igne combuſſit ignem. Quid autem o ſtulti ipſum amores
Ad Picum muſarum volaſtis principem?

§. XXIV.

PETRUS quoque PASCHALIUS, Vir diſertiſſimus, poëmata ſua juvenilia, iisdem forte cauſis motus, ſi non cremata, perpetuis tamen tenebris tecta voluit. Egerat is cauſam amici ſui, Joannis Maulii, proſapia Aquitaniæ nobiliſſima (*s*) editi, a Stephano Rogerio, cum in Academia Patavina literarum ſtudiis operam navaret, latronum ritu crudeliſſime in ipſo muſeo ſuo necati, oratione facundiſſima, ſed pro ſceleris enormitate ſatis dentata coram Senatu

(*s*) Quam ex præclara olim apud Romanos MANLIORUM familia derivare Paſchalius non dubitat, penes quem ejus rei fides ſit.

natu Veneto habita (*t*), e qua, non adeo obvia, nefandi illius parricidii historiam recitare

(*t*) Edita est ea Venetiis A. 1548. in 8. per Aldi filios, cum ejusdem Gallia per prosopopœiam inducta ad Venetam Remp. & oratione de legibus Romæ habita, cum juris insignia caperet, nec non epistolis in Italica peregrinatione exaratis. Ex iis, utpote rarioribus, hac occasione bina loca decerpam, e quibus apparet, quid Paschalius, ipse pontificius, de sui ævi Roma senserit. Scilicet p. 87. ita ad Durbanum suum scribit: „Movet me, angitque vehementer, dum, „qualis fuerit olim Roma, & quæ nunc sit cogito. „Nam ut omittam urbem dirutam atque desertam, „Vias Appias & Aurelias incultas, frondibusque & „virgultis jam diu intercluſas, columnas, templa, „porticus, signa ænea & marmorea fracta & com„minuta: qua me molestia affici putas, cum video „istorum hominum animos, qui ut quemadmodum „sunt, sic etiam divini & immortales putantur, ita „tamen a majoribus suis degeneraſſe, ut ex illis nun„quam orti, & ex se nati prorsus esse videantur? „illud, illud est, quod me torquet. Nam si Romæ „L. Manlios, C. Gracchos, M. Scauros, C. Marios, „Q. Mettellos, D. Brutos, T. Cicerones, P. Lentu„los desiderares, ab inferis, mihi crede, omnes „evocandi essent. Quotus enim quisque Romanus „Romæ invenitur, qui virtutem, qui humanitatem, „qui literas colat? omnino cum a Cabellis & ab ad„modum præterea paucis discesseris, reliquos bona„rum omnium literarum rudes & pene barbaros re„peries. Quod cum egomet mecum considero, ur„bemque circumcirca ex loco quodam excelso pro„spicio, facere non possum, quin valde doleam, at„que hoc mecum non sine suspirio dicam: Hem ubi „Roma illa, quæ quodam tempore fuit florentissi„ma?

recitare non piget : *Ad III. Calend. Sextil.* (A. MDXLVII.) *tertia fere noctis vigilia Stepha-*

---

na? ubi Senatus ille, qui aliquando florens non „ urbi, ſed orbi terrarum præſidebat? ubi illi cives „ egregii, ubi artes, ubi liberales doctrinæ, ac in- „ genuæ? quarum niſi ſcientiam habuiſſent, idem „ certe ille tumulus, qui corpus obruit, nomen „ etiam eorum obruiſſet. Sed profecto & claret, & „ quamdiu ſol, clarebit. Illis enim ipſis artibus (hoc „ eſt, monumento ſempiterno) mors eorum eſt or- „ nata. At ſunt Romæ Poëtæ, Philoſophi atque Ora- tores. Certe, ſed quos audire aut omnino videre „ nolis. Poëtas vocant Mimos, Hiſtriones, Comœ- „ dos, qui vicatim poti vulgaria quædam carmina „ bacchantur, quæ nihil habent præter muliebres ri- „ ſus, laſciviamque numeris quibusdam & rithmis „ involutam. Philoſophi hujus ſunt generis, ut „ omnia voluptate metiantur, ut nihil naturæ non „ tribuant, ut omnia aërem & litus : noſti cætera. „ Habes Poëtas & Philoſophos : audi nunc Orato- „ res. Ii medius fidius oratores plenos ſe profiten- „ tur, qui publice unam aut alteram cauſam jejune „ illi quidem & exiliter egerint, qui vix Ciceronem, „ nunquam Demoſthenem legerint. Breviter tanta „ eſt in urbem infuſa barbaria, peregrinitas tanta, ut „ jamdiu malis Poëtis, vitioſiſſimisque Oratoribus „ locum dederit.„ Pag. 100. ad Jo. Maſſancalum Sena- „ tus Toloſ. primum Præſidem : Ego habeo in animo, „ in Siciliam veris initio navigare : nam ut me ſum- „ mum illius veteris Romæ ſtudium, ſic hujus novæ „ odium jam tenet. Aliquot enim ſecula jure flo- „ ruit populi Romani nomen, jure imperii hujus au- „ toritas gravis, civitatisque majeſtas habebatur. Nunc „ vero omnibus voluptatis illecebris delinita, virtuti „ nuntium conſtanter remiſit, nec ullum veteris di- „ gnitatis veſtigium reliquum ſibi eſſe voluit.

Stephanus Rogerius homo temerarius & ad omnia nefaria scelera audacissimus, manu amentium & perditorum facta, ad eam domum, in qua hic integerrimus adolescens diversabatur, proficiscitur. Cadunt januam, instant ferro, intro irrumpunt. Hoc tam subito & inopinato terrore, mens omnium & consilium est ereptum: vix se ex tanto timore colligunt, resistere præcipiti furori tamque impio sceleri non possunt. In intimas ædes se recipiunt: pertinaciter alii atque acriter illos persequuntur. Maulius dum illorum impetum & ferociam perferre non potest, salutem ab iis petivit; eodem modo Pausaderius & Villarius (Maulii comites & ministri, literis itidem addicti) *passis palmis projecti ad terram, flentes, fecerunt. Qui cum istos injuria facienda fortius perseverare vident, cum ullis precibus eorum impetum reprimere, ardoremque restinguere non possunt, vel amore, vel misericordia, vel utroque incensi, suæ propriæ salutis obliti nudis manibus, latere, jugulo, capite, toto denique corpore herum, quantum potuerunt ferre, obtexerunt. — — Ad heri pedes multis & mortiferis plagis confecti tandem ceciderunt. Quem postea inermem & pene nudum tam crebris gravibusque vulneribus consauciarunt, ut ipse super suorum jacentia*

centia & conciſa corpora extremo pene ſpiritu exanguis corruerit. Et ne plaga illa extrema deeſſet, vix ſumma defatigatione cædere deſtiterunt: ut inſatiabilem crudelitatem magis in mortuis, quam in vivis exercuiſſe videantur (*u*). Libera vero hac oratione Paſchalius ita adverſariorum ſuorum animos exacerbavit, ut nihil habuerint deliberatius, quam eum quacunque ratione poſſent opprimere. Illorum ergo inſidias & truculentiam veritus, deque incolumi in patriam reditu valde dubitans, propter incertos caſus ſibi imminentes amiciſſimum ſuum Patrum Maulium Durbanum literis Romæ A. MDXLVIII. pridie Cal. Jun. ſcriptis de ſuprema ſua voluntate certiorem fecit, inter cætera eum ſic compellans (*x*): *Illud velim diligenter videas, (quod ego, mi Durbane, tui in me amoris ſupremum teſtimonium eſſe cupio) ne ea, quæ a me juveniliter ſunt ſcripta, quæque potius animos hominum effœminare, quam aliquid ad cõmunem fructum afferre poſſe videbuntur, emittas, ſed ita*

(*u*) Huic ſævitiæ anſam præbuit, quod, cum eo tempore Patavii de eligendo novo Univerſitatis Rectore controverſia eſſet, aliis in hac re Galli nonnulli eſſent adverſarii.

(*x*) l. c. p. 161.

ita comprimas, ut nunquam e tuis manibus emanent. Quæ mecum habeo, a quodam cœli filio fortasse adservabuntur.

§. XXV.

Huc etiam pertinet JO. PETRUS CATALONUS, Romanus, Vaticanæ Basilicæ Canonicus, A. 1673. fatis functus, de quo Prosper Mandosius (*y*) sequentia habet: *Multa scripsit summo studio, jugique diligentia: at die immediate ipsius mortem præcedente proprias omnes lucubrationes ante se ferri jussit, igneque combustas vidit; totus etenim divino accensus amore, cum inter illos multa carmina amatoria miscerentur, de vita immortali animæ cogitans, hæc caduca ac vana eximia animi fortitudine sprevit.*

§. XVI.

Alii contra ob siniſtros casus tædio & ira compulsi, dolorisque impatientes, fœtus suos literarios voracibus flammis immisere, atque ita in propria velut sævierunt viscera. Primo hic in scenam producendus nobis est ingeniosus ille amorum lusor,

(*y*) In bibliotheca Romana. Part. I. Cent. V. p. 285.

ſor, P. OVIDIUS NASO: qui cum ab Auguſto in exilium ejiceretur, nec alia ipſi vindictæ facultas eſſet, ultrices manus libris metamorphoſeon, multa induſtria conſcriptis, ſed ultimam nondum limam paſſis, intulit, eisque & aliis lucubrationibus ignem ſuppoſuit. Verum, haud paucis exemplis antea jam fuga elapſis, hodienum ea excellentis ingenii documenta ſuperſunt. Ipſum de illa re audire juvat poëtam (z):

Carmina major imago
Sunt mea, quæ mando qualiacunque legas:
Carmina mutatas hominum dicentia formas,
Infelix domini quod fuga rupit opus,
Hoc ego diſcedens ſicut bona multa meorum
Ipſe mea poſui mœſtus in igne manu.
Utque cremaſſe ſuum fertur ſub ſtipite natum
Theſtias, & melior matre fuiſſe ſoror:
Sic ego non meritos mecum peritura libellos
Impoſui rapidis viſcera noſtra rogis.
Vel quod eram muſas, ut crimina noſtra, perOſus,
Vel quod adhuc creſcens & rude carmen erat.

Qua

(z) Triſt. Lib. I. Eleg. VI.

Quæ quoniam non sunt penitus sublata, sed extant:
Pluribus exemplis scripta fuisse reor.
Nunc precor, ut vivant, & non ignava legentem
Otia delectent, admoneantque mei.
Non tamen illa legi poterunt patienter ab ullo,
Nesciat his summam si quis abesse manum.
Ablatum mediis opus est incudibus illud,
Defuit & scriptis ultima lima meis.
Et veniam pro laude peto: laudatus abunde,
Non fastiditus si tibi lector ero &c.

Huic comitem dabimus THEODORUM GAZAM, Græcorum exulum, quorum potissimum opera seculo XV. litteræ fere extinctæ in Italia renasci divina virgula cœperunt, facile doctissimum; qui nonnulla Aristotelis scripta, Latina a se improbo labore conversa, inque membranis nitide exarata Sixto IV. P. M. dicavit; quum vero præmii loco duodecim tantum aureos (*a*) recepisset, rei indignitate motus, eos

(*a*) Jo. Pierius Valerianus Lib. II. de Litteratorum infelicitate aureos quinquaginta a Pontifice, a quo se totum inauratum iri speraverat, retulisse, ac Saturnina quadam iniquitate bonam suorum fœtuum partem absumsisse, hujusque rei indignitate exulceratum insolabili contabuisse ægritudine narrat.

eos in Tiberim projecit, & ultimam de iisdem partem igni adjudicavit (*b*). Alii vero cum nummis reliquas lucubrationes fluctibus tradidiſſe devorandas volunt, his additis verbis: *effugere hinc libet, poſtquam optimæ ſegetes in olfactu pinguibus aſinis ſordeſcunt* (*c*). Sed Lomejerus ex Jovio de eodem quoque perhibet, tanti candoris eum fuiſſe, ut multa ex Ariſtotele verſa Vulcano tradiderit, ne creſcenti famæ hominis amiciſſimi Argyropili, qui eadem generoſe verterat, officerent (*d*).

§. XXVII.

Ex noſtro ævo referendus huc eſt Philologus Academiæ Helmſtadienſis celeberrimus, HERMANNUS VON DER HARDT, qui finiſtris opuſculorum ſuorum uno majoris formæ volumine ſub titulo Ænigmatum priſci orbis comprehenſorum fatis irritatus, Collectaneorum ſuorum Volumina VIII. in folio igne abſumſiſſe fertur, iis propterea erúditis accenſeri dignus, quos

(*b*) Vid. Jo. Wolffii Lectionum memorabilium & reconditarum Centen. XV. f. 884.

(*c*) Vid. Jo. Lomej. de Bibliothecis C. VIII. p. 127. edit. Schmid.

(*d*) l. c. Cap. IX. p. 177.

quos forsitan non incommode Ἐμβρυοσοφικὰς nuncupare posses. In eum itaque elegantissimi ingenii & omnigenæ eruditionis Vir, Theodorus Hasæus (*e*), Augusti de ultima Virgilii voluntate versus παρωδίας, imitatus non abs re ita lusit:

Ergone tam rigidis potuit vox percita verbis
Tam dirum mandare nefas? ergo ibit in ignes,
Magnaque doctiloqui morietur MUSA DURANDI?
Non velit hoc data lex a Principe; si velit, ipsa
Frangatur potius legis veneranda potestas,
Quam tot congestos noctesque diesque labores
Hauriat una dies, & funere mergat acerbo.

§. XXVIII.

Quidam præterea eruditi, nimis rigidi suarum lucubrationum censores, eas, cum doctorum oculos ferre haud posse viderent

(*e*) In Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Brem. Class. VII. p. 743.

derentur, Vulcano corrigendas dare voluere. Primum hic locum occupet P. VIRGILIUS MARO,

Omnes qui cantu vocat in certamina Vates.

Is (uti narratur in ejus vita, quæ communiter Ælio Donato tribuitur) cum gravari morbo ſeſe ſentiret, ſcrinia ſæpe & magna inſtantia petivit crematurus Æneida: quibus negatis teſtamento comburi juſſit, ut rem inemendatam imperfectamque. Verum Tucca & Varrus monuerunt, id Auguſtum non permiſſurum. Tunc eidem Varro ac ſimul Tuccæ ſcripta ſub ea conditione legavit, ne quid ederent, quod a ſe editum non eſſet, & verſus etiam imperfectos, ſi qui erant, relinquerent. Bene vero factum, quod nullius omnino, ſententia crematu Æneis digna viſa fuerit. De qua re Sulpitii Carthaginienſis extat epigramma:

Juſſerat hæc rapidis aboleri carmina flammis
Vergilius, Phrygium quæ cecinere ducem.
Tucca vetat, Varrusque ſimul: tu maxime Cæſar
Non ſinis, & Latiæ conſulis hiſtoriæ.

Infelix gemino cecidit prope Pergamon igni,
Et pene est alio Troja cremata rogo.

Habentur & ibidem ipsius Augusti eam in rem versus plane egregii (f).

§. XXIX.

Hujus lateri adhæreat studii consors FRANC. PETRARCHA, de quo Jacobus Philippus Tomasinus (g) hæc commemorat: *Illud a fide dignis auctoribus accepimus, quod cum ad eum visendum processissent multi Veronæ, atque gratificandi studio Africa ipsius palam recitaretur, ipsum fusis lacrymis rogasse, ne ulterius progrederentur. Causam vero sciscitantibus respondisse; utinam opus illud abolere possem, nulla mihi profecto res gratior aut jucundior foret. Sunt, qui putant, id ab ipso fuisse prolatum, quod fœtus ille adhuc fuis-*

(f) Extat quoque de Virgilii Æneide ad Augustum Cæsarem Cornelii Galli carmen.

(g) In Petrarcha Redivivo. p. 26. sq. cf. Squarzafichi vitam Petrarchæ. p. 62. confer ipsius Petrarchæ in epistolas familiarium rerum ad Socratum suum præfationem. Referendus in hanc classem quoque videtur JOANNES BOCCACIUS, Petrarchæ συγχρονος, de quo vid. Bælius in Diction. art. BOCCACE.

fuiſſet immaturior. At modeſtum nimis de ſemetipſo vatis judicium, quod licet voce fuerit proditum, a mente ipſius nihilominus diverſum fuit. Sic enim de hac ipſa Poëtæ Africa in vita ejus MS. Bibliothecæ Canonicorum Regularium S. Jo. in Viridario Patavii Paulus Vergerius: In ea quidem ad marginem, nam dudum illius manum notiſſimam habeo, ita ſcribit: Raro unquam pater aliquis tam mœſtus filium unicum in rogum miſit, quanto id fecerim dolore, ut ſi omnes labores meos eo in opere perditos acriter tecum volvas, vix ipſe lacrymas contineas. — — Præter hæc plurima alia e pluteis deprompta prudens noſtræ memoriæ ſubduxit. Sic enim ipſe in quadam ad Socratem epiſtola: Quid multa? Incredibilem forte rem audies, veram tamen: mille vel eo amplius ſeu omnis generis ſparſa poëmata, ſeu familiares epiſtolas, non quia nihil in eis placuiſſet, ſed quia plus negotii quam voluptatis inerat, Vulcano corrigendas tradidi non ſine ſuſpiriis.

§. XXX.

Præſtantes hosce poëtas excipiat ANDREAS NAUGERIUS, Poëta itidem non e vulgo, ſummus ſuæ ætatis, Jo. Pierio

Valeriano (*b*) judice, ingenio, optimaque doctrina & incomparabili eloquentia Vir, sed mea quidem sententia in fœtus suos literarios, si quis alius, maxime injurius. Is non contentus, quotannis stato die aliquot Martialis, cui inimicissimus erat, codices incendio devovisse, in sua etiam poëmata, quod Statianum characterem referre videbantur, igne grassatus est, solius fere Virgilii æstimator superstitiosissimus, cui nihil placebat, nisi quod Maronis majestatem saperet. Rem verbis non meis, sed Famiani Stradæ (*i*) plenius exponere lubet: *Andreas Naugerius Valerio Martiali acriter infensus, solemne habebat in illum aliquanto petulantius jocari. Etenim natali suo accitis ad geniale epulum amicis, postquam prolixe de poëticæ laudibus super mensam disputaverat, ostensurum se ajebat a cœna, quo tandem modo laudari poësin deceret, mox afferri jubebat Martialis volumen (hæc erat mensæ appendix) atque igni propior factus, illustri conflagratione absumendum flammis imponebat*

(*b*) Lib. II. de litterat. infelicitate p. 326. edit. Lipsi.

(*i*) In Eloquentia. Lib. II. Prolus. V. p. 332. sq. edit. Colon. 1655.

bat (*k*): *addebatque eo incendio litare se Musis manibusque Virgilii, cujus imitatorem cultoremque præstare se melius haud posset, quam si vilia poëtarum capita per nudas insecutus ac flammas perpetuo perdidisset. Nec se eo loco tenuit, sed cum Sylvas aliquot ab se conscriptas legisset, ut solebat, in concilio Poëtarum, audissetque Statiano characteri similes videri, iratus sibi, quod a Martiale fugiens alio declinasset a Virgilio, cum primum se recepit domum, protinus in Sylvas conjecit ignem, ejusque calore succensus versiculos prope extemporarios fudit, quos in eodem conventu, qui proxime coactus est, sub rustici Acmonis persona recitavit in hunc modum:*

Has Vulcane dicat sylvas tibi villicus Acmon,
Tu sacris illas ignibus ure Pater.
Crescebant ducta e Stati propagine Sylvis,
Jamque erat ipsa bonis frugibus umbra nocens.
Ure simul Sylvas, terra simul igne soluta,
Fertilior largo fœnore messis eat.

(*k*) Paulus Jovius in Elog. Vir. Ill. eum quotannis multa Martialis volumina tanquam impura cum execuratione Vulacno dicasse tradit.

Ure istas, Phrygio nuper mihi consita colle
Fac pater à flammis tuta sit illa tuis.

Neque hic substitit severioris, quam par erat, suarum lucubrationum judicis austeritas, sed ulterius progressa est. En, quæ Fracastorius (*l*) apud P. Bælium (*m*) de eo memoriæ prodidit : *Vir summi ingenii, summique etiam spiritus, assiduis patriæ occupationibus distentus, ut nullum fere spatium litterarum studiis supereſſet, ut qui se ipsum probe noſceret, quæ feciſſet, cum non esse hujusmodi putaret, ut in vulgari citra sui nominis jacturam possent, dum tantæ existimationi, quanta jam ipse apud omnes eruditos omnium fere nationum agebat, utpote nec polita satis, nec unquam recognita, non usque quaque respondérent, quæcumque apud se habuit, paulo ante mortem igne delevit. Quare ejus libri de venatione duo pulcherrimi, in Bartholomæi Liviani gratiam heroico carmine eleganter scripti, & unus de situ orbis eodem stylo confectus, quos alias legimus, periere : atque*

(*l*) De morbis contagiosis. p. 157.

(*m*) In Diction. Tom. IV. edit. III. f. 3053. art. NAVAGIERO. not. (B). cf. etiam Tom. I. art. BEMBUS, not. (M).

atque ut omittam laudationem illam, quam in funere Catharinæ Cypriæ Reginæ, Marci Cornelii Senatoris ampliſſimi filiæ, de Veneta Corneliorum gente nobiliſſima, ad Leonardum Lauredanum Venetiarum Principem & Senatum publice habuit, & alia multa, quæ eodem igne concremata ſunt, quo piaculo dixerim luculentiſſimam hiſtoriam ab ingreſſu Caroli VIII. Gallorum Regis in Italiam ad ea uſque tempora tot vigiliis tantoque labore ampliſſimorum Decemvirum juſſu deductam concidiſſe. Duæ igitur duntaxat orationes funebres, ab eo habitæ, & quædam poëmata ab interitu vindicata ſunt. Cæterorum jactura eo gravius dolenda eſt, quo pluribus Naugerii eruditionem & elegantiam Viri ejus ætatis doctiſſimi certatim elogiis cumularunt, e quibus Aldus Pius Manutius, idoneus, ſi quis alius, judex eum adhuc juvenem in dedicatione Librorum Ciceronis de arte Rhethorica A. 1514. in 4. editorum ita affari haud dubitavit: *Cum adeo juvenis tantus & proſa & carmine evaſeris, ut te vel antiquis, qui utroque in genere ſumma cum laude elaborarunt, fere aquaveris; non dubito, quin futurus ſis maximum decus & gloria noſtrorum temporum, & una cum Bembo noſtro magna ſpes altera Romæ.*

§. XXXI.

Succedat his THOMAS MEZLERUS, Ordinis Benedictini Monachus, A. 1655. in Monasterio Zwifaltensi denatus, Vir Arsenii Sulgeri judicio consummatæ literaturæ, Poëta, Orator, Philpsophus, Philologus, Theologus, non paucis ingenii monumentis clarus, de quo idem hæc (*n*) refert: *Quadam vice, nescio, qua tædii impetigine actus, libros duodecim Carolidos, quos magno studio & temporis impendio ad Virgilianæ Æneidos similitudinem de Caroli V. Imperatoris vita rebusque gestis heroico carmine absolverat, subitariis ignibus combussit, cujus egregiæ lucubrationis præter unum quaternionem ab alio descriptum nihil dum, quod restet, potui comperire.* Nominari heic quoque meretur GREGORIUS LETI, si quis alius, inter recentioris ævi polygraphos suo jure ponendus, quippe qui iconi suæ hoc subjicere poterat distichon:

Hæc Læti facies, quot sæclum continet annos,
Quem solum dicas tot peperisse libros.

Plura

(*n*) In Annalibus Monast. Zwifaltens. Part. II. p. 272.

Plura tamen ſcripſiſſe, quam edidiſſe teſtatur catalogus operum anno, antequam ex illius manibus calamum mors extorqueret, ab ipſo confectus, in quo lucubrationes ſuas in tres diſpeſcit claſſes, quarum prima continet eas, quæ ad annum MDCC. typis jam excuſæ erant, ſecunda ad prælum tum paratas, tertia vero poſt obitum demum Imprimendas, vel etiam Vulcano conſecrandas (o). Horum agmen claudat BENEDICTUS SPINOZA, qui maximam Veteris Teſtamenti partem ex Hebræo in Belgicum ſermonem a ſe converſam paucis ante ſuprema fata diebus, forte non immerito, (vix enim dubitandum eſt, eum illam translationem ſuo infeciſſe veneno) in fauillas redegit, notante id Jacobo le Long in Bibliotheca S. Part. I. f. 414. edit. recentiſſ. Pariſ.

§. XXXII.

Alii inſuper ſcripta ſua combuſta voluere, pœnitentia eorum ducti, quæ in illis tradiderant. Sic CLEMENS V. P. M, moribundus Conſtitutiones, ab ipſo Clementinas

(o) vid. Hamburg. Biblioth. Hiſtoric. Centur. VI. p. 141.

mentinas nuncupatas, rejeciſſe, cremarique juſſiſſe dicitur (*p*) nihil in iis quam laqueos & retia contineri profeſſus, quos tamen Joannes XXII. ejus ſucceſſor firmas ac ratas haberi mandavit. BONIFACIUS quoque II. cum Clerum adegiſſet, ut ſe adhuc vivente Vigilium Diaconum ſibi ſucceſſorem daret, conſcripta in eum finem conſtitutione, ſingulorumque chirographo munita, tandem, quod hæc canonibus adverſari videret, animum mutans, ipſam in præſentia omnium ſacerdotum & ſenatus incendio, conſumſit (*q*), egregio ſcilicet pontificiæ infallibilitatis, quam tantopere jactant, documento.

§. XXXIII.

NONNUS PANOPOLITANUS Dionyſiacorum libros, a ſe adhuc gentili, ut Guil. Cave videtur (*r*), ſcriptos, ipſe damnavit, & quotquot eorum exempla nanciſci potuit, fecit favillas, ſtudiumque deinde ſuum ad divina convertens, Joannis Evan-

(*p*) Vid. Jo. Nauclerus in Chron. Part. II. f. 246.

(*q*) Vid. Jac. Gretſer. de jure & more prohibendi libros malos. Lib. I. Cap. XIV. p. 79.

(*r*) In Hiſtor. Litt. Script. Eccleſ. Part. I. f. 213.

Evangelium metrica paraphraſi illuſtravit (*s*) B. etiam LUTHERUM noſtrum, ut ſuorum quædam flammis perirent, in votis habuiſſe, ex ipſis ejus verbis (*t*) compertum habeo, quæ heic recitare non piget; *Velim, nolem, cogor indies eruditior fieri, tot tantisque magiſtris certatim me urgentibus & exercentibus. De indulgentiis ante duos annos ſcripſi, ſed ſic ut me nunc mirum in modum pœniteat editi libelli. Hærebam enim id temporis magna quadam ſuperſtitione Rom. tyrannidis, unde & indulgentias non penitus rejiciendas eſſe cenſebam, quas tanto hominum conſenſu cernebam comprobari, nec mirum, quia ſolus tum volvebam hoc ſaxum. At poſtea beneficio Sylveſtri & fratrum adjutus, qui ſtrenue illas tutati ſunt, intellexi eas aliud non eſſe, quam meras adulatorum Romanorum impoſturas, quibus & fidem Dei & pecunias hominum perderent. Atque utinam a Bibliopolis queam impetrare, ut univerſos libellos meos de indulgentiis exurant, & pro omnibus quæ de eis ſcripſi hanc propoſitionem apprehendant: Indulgentiæ ſunt adulatorum Romanorum nequitiæ*

(*s*) Vid. Theoph. Spizel. de vitiis litteratorum. p. 729. ſq. Huc pertinet etiam MARSILIUS FICINUS, de quo vide, ſi placet, quæ obſervavimus Tom. I. p. 36. ſq.

(*t*) De captivit. Babylon.

quitiæ. Idem paulo post votum de iis repetit Lutherus quæ antea nimis leniter de papatu scripserat.

§. XXXIV.

Meminisse quoque heic decet CLAUDII SALMASII, cujus uti celebratissima est in omni doctrinæ genere eruditio, ita & mordacitas, rixandi libido, ac summa in alios invehendi licentia nemini ignota esse potest. Tot certe sarcasmis & cavillationibus scripta sua cæteroquin doctissima, conspurcavit, ut vel maledicentissimos hominum longissimo post se intervallo reliquisse videatur. Idem vero morti vicinus, perspiciens haud dubie, quam indignus sit homine Christiano iste conviciandi & detrahendi pruritus, uxori mandavit, ut scripta sua, adversus maximos viros pridem prælo parata, flammis absorbenda traderet, ne si forte in aliorum manus devenirent, erumperent in publicum, & magnorum virorum perderent famam, cum iis gravissimos eorum errores confutasset (*u*): & procul dubio ita quidem, ut simul illos atrociſſimorum scom-

(*u*) Vid. Ant. Clementii vitam Salmasii, Lib. I. Epist. ejus præmissam, coll. Spizel. l. c. p. 688. & 729.

ſcommatum cumulis pro more ſuo obruerit.

§. XXXV.

Ultimo tandem loco eorum habenda eſt mentio, qui ab aliis coacti, ſua ipſi ſcripta in cineres verterunt. Huc refero BERENGARIUM, Archidiaconum Andegavenſem, qui undecimo a Chriſti nativitate ſeculo panem & vinum in Euchariſtia non vere & eſſentialiter, ſed figurate tantum in corpus & ſanguinem Chriſti converti ſtatuit, ob eam ſententiam in conciliis Romano V. Brionenſi, Vercellenſi, & Pariſienſi I. aliisque hæreſeos damnatus: tandem vero minis territus, & metu mortis inductus, in Synodo Turonenſi I. dogma ſuum ejuravit, ac palinodiam cecinit. Sed poſtmodum ad priorem ſententiam rediens, in Concilio Romano IX. eam denuo recantare coactus eſt. Videtur & deinceps aliquoties mutaſſe animum; ſiquidem illum e variis ſcriptoribus errorem ſuum de Sacramento quinquies abjuraſſe, librosque ſuos in ignem conjeciſſe memorat Jo. Wolfius (*x*). Parem cum iſto fortunam exper-

(*x*) Lectionum memorabil. & reconditarum Centen. XI. f. 288. conf. Guil. Cave Hiſt. Litt. Script. Eccl. Tom. I. f. 420. & Tom. II. f. 208. ſq.

expertus est PETRUS ABÆLARDUS, acutissimus sui ævi philosophus, qui in Synodo Suessionensi II. ob malesanam circa personas SS. Trinitatis sententiam damnatus, & librum suum propriis manibus igni tradere ab Episcopis coactus, inque monasterium detrusus fuit, uti in Epistola historica de propriis calamitatibus ipse fusius exponit notante id Guil. Cave (g).

§. XXXVI.

His tertius accedat PAULUS quidam, Sacellanus ad D. Petri Lovanii, qui ob veritatis evangelicæ professionem Anno MDXLIII. cum aliis piis Deoque dilectis captus, inque vinculis miserrime habitus, ac ob sequentia dogmata hæreseos damnatus est, quod nimirum statuerit, solam fidem salvare, ad salutem consequendam sufficere, ut remissionem peccatorum credamus, & Dei misericordiam, in Evangelio oblatam, complectamur, humanas traditiones conscientiam non obligare; quod præterea liberum arbitrium, purgatorium, & Ma-

(g) l. c. Tom. II. f. 237. conf. Vitam Abelardi in Illustr. Christ. Thomasii Historia Sapientiæ & Stultitiæ. Tom. I. p. 81.

& Mariæ ſanctorumque invocationem impugnaverit. Is tandem a teterrimis divinæ veritatis perſecutoribus cum blandimentis & vanis promiſſionibus, tum diriſſimis comminationibus & horrendæ mortis, ſibi certiſſime imminentis, metu eo compulſus fuit, ut purioris religionis dogmata rejeceret, librosque ſuos tam typis excuſos quam manu exaratos calidis focis cremandos ipſe dederit, nihilominus poſtea perpetuis tenebris & æterno carceri incluſus, ac pane duntaxat & aqua ad mortem usque paſtus atque potatus: quam rem omnem prolixius enarrat D. Ludovicus Rabus noſtras, magni olim nominis & multorum in Dei Eccleſiam meritorum Theologus (*z*).

§. XXXVII.

Miſeranda M. T. CICERONIS, Romanæ eloquentiæ parentis, fata vel trivialibus pueris cognitiſſima ſunt. Eum M. Annæus Seneca Rhetor (*a*) inducit deliberantem, an ſcripta ſua comburat, promittente Antonio incolumitatem, ſi feciſſet, in medium

(*z*) In Martyrologio ſuo, vernaculo ſermone Argentor. A. 1572. vulgato, Tom. II. f. 623. ſqq.

(*a*) In Suaſoria VII.

dium consulentibus Q. Haterio, Cestio Pio, P. Asprenato, Pompejo Silone, Triario, Argentario, Aurelioque Fusco, sed omnibus & singulis uno animo, diversis autem rationibus exustionem maxime dissuadentibus. E quibus Haterius Tullium inter cætera sic alloquitur: *Crudelior est pactio Antonii, quam proscriptio. Ingenium erat, in quod nihil juris haberent triumviralia arma. Commentus est Antonius, quemadmodum, quod non poterat cum Cicerone proscribere, tolleret per Ciceronem. Hortarer te, Cicero, ut vitam magni æstimares, si libertas suum in civitate haberet locum, si suum in libertate eloquentia, si non civium cervicibus luderetur &c.* Cestius vero Pius: *Nunquid opinio me fefellit? intellexit Antonius, salvis eloquentiæ monumentis non posse Ciceronem mori. Ad pactionem vocaris: qua pactione melior in te pars tui petitur &c.* P. Asprenatus: *Permitte te populo Romano contra Antonium. Si scripta combusseris, Antonius paucos annos tibi promittit; at si non combusseris, populus Romanus omnes.* Argentarius: *Ut corpus, quod fragile & caducum est, servetur, pereat ingenium, quod æternum est? Ego mirabar, si non supplicio crudelior esset Antonii venia. — Qualis est*

pactio

pactio? Aufertur Ciceroni ingenium ſine vita: promittuntur oblivione nominis tui pauci ſervitutis anni. Non ille vivere vult, ſed facere ingenii tui ſuperſtitem. — Pati poteris, ut, quod in te optimum habes, ante te efferas? ſine durare poſt te ingenium tuum, perpetuam Antonii proſcriptionem. Aurelius denique Fuſcus: *Quoad humanum genus incolume manſerit, quamdiu uſus litteris, honor ſummæ eloquentiæ pretium erit: quamdiu Reip. noſtræ aut fortuna ſteterit, aut memoria duraverit, admirabile poſteris vigebit ingenium, & uno proſcriptus ſæculo proſcribes Antonium omnibus. Crede mihi, viliſſima pars tui eſt, quæ tibi vel eripi, vel donari poteſt. Ille verus eſt Cicero, quem proſcribi Antonius non putat niſi a Cicerone poſſe &c.*

§. XXXVIII.

Poſtremo de HELIODORO Triccæ Theſſaliæ oppidi quondam Epiſcopo, nonnihil dicendum reſtat, cujus Æthiopicorum libros decem, caſtiſſimos Theagenis & Charicleæ amores deſcribentes, eloquentia copioſa, eleganti, dulci atque miranda refertos hodienum habemus. De quo opere provincialis olim Synodus, ſi

Nicephoro Calliſto (*b*) fides habenda, nimis ſevere decrevit, ut illud auctor aut igne aboleret ipſe, quod juvenis compoſuerat, aut epiſcopatu abiret, quod & maluiſſe fertur Heliodorus, quam flammis in perennaturum excellentis ſui ingenii monumentum ſævire. Sed non deſunt, qui iſtud decretum in dubium vocant, atque Nicephori credulitati adſcribunt, a quorum partibus ſtare haud veritus eſt Illuſtr. Petrus Daniel Huetius, Galliæ ſuæ, dum viveret, ornamentum, cujus verba (*c*) huc transferre liceat: *Heliodorus in operis diſpoſitione, ut in cæteris Jamblichum longe ſuperavit. Nihil hactenus tam perfectum ingenio, tam elaboratum induſtria in arte Romanenſi, quam Theagenis & Chariclea caſus quisquam unquam viderat. Nihil eorum amoribus caſtius eſt. Qua in re præter religionem Chriſtianam, quam autor profitebatur, ſua ipſi virtus hoc honeſtatis, quæ in toto eluceet,*

(*b*) Lib. XII. Hiſtor. Eccleſ. Hiſtor. 34.

(*c*) Ex Libro de origine fabularum Romanenſium, à Guil. Pyrrhone Latine converſo, p. 36. edit. Lipſ. A. 1683. Legi etiam omnino meretur Mart. Cruſii judicium de Heliodoro, cum aliis editioni Æthiopicorum Francof. a Dan. Pareo A. 1631. in 8. curatæ præmiſſum.

cet, opere, lumen afflaſſe videtur. In quo ſane non ſolum Jamblichi, ſed omnes fere antiqui, quorum fabulæ Romanenſes ad nos venere, debent ipſi cedere principatum. Itaque ad Epiſcopi dignitatem ſuæ virtutis gradibus evectus fuiſſe memoratur. Tricca Theſſaliæ urbs eſt, cujus ille creatus Antiſtes, hanc, uti refert Socrates, introduxit conſuetudinem, ut viri eccleſiaſtici, qui non abſtinebant a mulieribus, quas, antequam rei ſacræ miniſteriis admoverentur, duxerant, ſuis ſacerdotiis exuerentur. Quæ omnia eo me facile reducunt, ut diffidam iis maxime, quæ addit Nicephorus, ſcriptor credulus, ſapientiæ & fidei non ſatis ſpectatæ, Synodum ſcilicet provincialem cognito periculo, in quod lectio fabulæ hujus, cui autoris ſui dignitas tantum ponderis & autoritatis dabat, juvenes ſuapte natura ad id propenſos & quaſi nutantes impelleret, eam ipſi conditionem obtuliſſe, ut aut opus ſuum flammis aboleret, aut ſua dignitate cederet: eumque quod, ultimum erat, prætuliſſe &c.

§. XXXIX.

Dici heic quædam non incommode poſſet de libris in incendio (*d*) ſervatis, ſed

(*d*) De hujus notæ Libris vid. *zufallige Relationen*

sed eam rem aliorum industriæ relinquere malo. Utatur per me de iis suo quilibet judicio : hoc mihi pro explorato est, divinam veritatem haud novorum indigere miraculorum testimonio, verum insita sua virtute, suo robore se fortiter tueri, tot jam olim miris, tot martyrum mortibus & sanguinum rivis abunde illustratam. Haud tamen prorsus negaverim, esse in iis nonnulla, penitiori attentione digna, ac omnipotentem & mirabilem providi Numinis manum specialius testantia, quanquam non omnia, quæ venditantur, eodem habenda sint loco. Sufficiat mihi, B. SPENERI modestum de suo Catechismo in flammis An. 1689. servato judicium (*e*) heic protulisse : *Literæ Misenensis præfecti de Catechismo e flammis Arnsdorffiensis incendii prosiliente & servato hic mihi etiam ostensæ sunt. Me quia res concernit, ab inquirenda ea manus magis abstineo, ne mentis alicui vanitati id tri-*

nen von alten und neuen Denckwürdigen Geschichten, Urkunden, Documenten, &c. die Kirchen, Policey- und Schul-Historie sonderlich in Ober-Teutschland betreffend. Part. VI. p. 535. sqq. add. Lomejer. de Bibliothecis C. XIII. p. 261. & Vener. Pregizeri *Gottgeheyligte Poësie auf* 1726. p. 424.

(*e*) In Consiliis & Responsis Latinis. Part. III. p. 679.

id tribuatur. Miraculis vel ſi quid Deus noſtro etiam tempore ultra naturæ leges fieri jubeat, fidem derogare nolo, nec tamen etiam temere de iis, quæ venditantur, niſi extra omnem dubitationis aleam ſint poſita, pronunciare audeo. Si vero quid in hac etiam re contigerit extra cõmunem ordinem, ſaltem non mihi ſed veritati in iſto libro comprehenſæ tribuendum fuerit. Circa Arndii ἐν ἁγίοις *libellum ter ſimile quid contigiſſe certum eſt. Nos vero celebremus Dominum in omnibus, in quibus aliqua ſuæ bonitatis vel potentiæ quocunque modo edit documenta, quod officii noſtri omnino eſt.*

§. XL.

Jam ad metam feſtinat hæc ſcriptiuncula, quam elegantiſſimi Ægidii Menagii (*f*) judicio obſignare non incongruum erit. Is ſi omnes veterum libri flammis forent immiſſi, nullum ſe lubentius avidiusque inde extracturum eſſe aſſeruit, quam Plutarchum. *Si tous les Livres des Anciens*

(*f*) Vid. Menagian. Tom. III. p. 1. Ita etiam Theodorum Gazam interrogatum, quemnam ex omnium ſcriptorum numero ſalvum vellet, ſi ceteris omnibus eſſet carendum? PLUTARCHUM, reſpondiſſe, Guil. Xylander in Vita Plutarchi Opp. ejus T. I. præfixa obſervat.

étoient dans le feu, il n'y en a gueres que j'en tiraſſe plus volontiers, que Plutarque. Il ne m'a jamais ennuié; & quoi que je le liſe ſouvent, j'y trouve toujours de nouvelles beautés. Addo, quæ idem nonnemínem de incondito cujusdam libro acute judicaſſe refert (*g*): *Le même* (M. de Bautru Prieur des Matras) *pour ſe defaire d'un Auteur qui apportoit un Ouvrage fort ennuyeux, lui dit en lui montrant le feu, auprès duquel ils étoient tous deux: Monſieur, ſi vous me croyez vous mettrez cet ouvrage en lumiere, le public vous en ſera obligé.* Quibus adjicit Bern. de la Monnoye: *C'eſt le ſens de cette Epigramme d'Owen:*

Edidit indignos in lucem luce libellos
Baldinus, dignos attamen igne libros.

§. XLI.

Hac commentatione ad finem jam perducta & typographo tradita, peropportune adhuc recordatus ſum HADRIANI BEVERLANDI, puriſſimæ impuritatis ſcriptoris (*b*), inter eos, qui ſua ipſi opera ad

(*g*) Vid. Menagian. Tom. II. 359. ſq.
(*b*) Ita Petronii fragmenta puriſſimæ impuritatis dicun-

ad Vulcanum ablegaverunt, minime prætereundi. Suam is eruditionem inquinavit obſcœnis de ſtolatæ virginitatis jure ac peccato originis libris, quos non abs re iis annumeraveris, qui, judice Jeremia Drexelio (*i*), nuſpiam tutiore ſunt loco, quam cum in flamma ſunt. Carcer, mulctæ irrogatio, variæ adverſitates, & ſalubres aliorum admonitiones hominem tandem ad ſaniorem redegere mentem, eoque perduxerunt, ut non ſolum, quæ laſcivius ſcripſerat, ſummopere deteſtatus in cineres verteret, ſed publice etiam palinodiam caneret, in lucem emiſſa de fornicatione cavenda admonitione ſive adhortatione ad pudicitiam & caſtitatem, cum hac præfatione: *Inimicis pacem. Cum libellum meum de P. O. poſt ſexdecim annos forte mihi monſtraret ac prælegeret Germanus, vix exprimere potui, qui fuerim conſternatus, quod ſcripturiens talibus tempeſtatibus olim jactatus eſſem. Damno calorem improvidæ illius ætatis. Deteſtor adulterinum ſtylum & nequio-*

dicuntur juſto Lipſio in Commentar. ad Taciti Annal. Lib. XVI. p. 437. de quo judicio vid. Menagian. Tom. II. p. 299.

(*i*) In Nicata, ſive triumphata incontinentia L. I. C. V. §. 3. p. 36.

rem sensum. Gratias Deo, quod tandem velamen, quo misere cœcutiebam, ab oculis meis amoverit, nec sverit me diutius huic pertinaciæ patrocinia quærere absurdiora. Idem ille cordium scrutator Deus adeo mihi fuit propitius, eamque mihi mentem dedit, ut omnia, quæ de hoc argumento scripseram, combusserim, & libros de P. V. (Prostibulis veterum) *ad Rectorem M. Academiæ Lugduno-Batavæ transmiserim. Rogo omnes, qui clam, vi, vel precario aliquid a me possident MS. ut istud mihi remittant, ut & ipse quoque tradam Vulcano. Quod si quis negligat, illi omnes imprecor calamitates, quæ maligno & perfido solent contingere. Hoc vestra intererat non ignorare.* Præmissa est libello epistola ad Eduardum Bernardum A. MDCXC. Kal. Febr. data, e qua, hujus potissimum monitu illum resipuisse, apparet. In ejus vero calce hæc leguntur: *Hadrianus Beverlandus supplex orabat in arce Vindesorienst A. 1693.* Recusus est in Germania A. MDCXCVIII. cum Joannnis Brandii, Gratiani Torrisii, Soc. Jes. Detestatione nefandissimi sceleris Ononitici gravissima. Rem primo serio egisse existimabatur Beverlandus, sed parum abest, quin ad vomitum tandem rediisse videatur. Anno enim 1699. in Belgium opera quæ-

ra quædam in Belgium miſiſſe dicitur, digna aliis habita, quæ comburerentur. Ita namque de iis Jacobus Bernardus (*k*) : *M. Beverland fameux par des Ouvrages bien différens a envoyé en Hollande, pour être imprimez, ſes Otia Oxonienſia : Notæ in Martialem, Juvenalem &c. Iter ſuum Anglicum. Ceux qui ſe plaiſent dans la littérature trouveront leur compte dans ces Ouvrages : ſi ceux qui les ont reçus ne les ont pas brûlez, comme quelques perſonnes me l'ont aſſuré.* Anno MDCCXII. Londino, in calamitoſo eum verſari ſtatu, nunciabatur, mente videlicet captum obviis quibusque prolixe narrare, vitæ ſuæ inſidias poni, ac ducentos homines conjurationem contra ipſum iniiſſe (*l*).

Quod reliquum eſt, illis, qui ſua ipſi ſcripta, nondum ſatis limata, morti vicini ſubjecta exuſſerunt flamma, adjungimus JO. BAPTISTAM URSATUM, Medicum & Philologum Patavinum, qui Anno MDCCXX.

(*k*) Vid. ejus *Nouvelles de la Republique des Lettres.* A. 1699. M. Octobr. p. 468.

(*l*) Vid. *Neuer Bücher-Saal.* Vol. II. p. 141. de hoc viro conferri etiam meretur Henr. Lud. Benthem *in Holländiſchen Kirch- und Schulen-Staat.* Part. II. Cap. IV. p. 451. ſq. & Tenzel. *in Monatlichen Unterredungen.* A. 1698. p. 845. ſqq.

MDCCXX. d. 11. Jan. denatus, paulo ante obitum dissertationem suam *de Patera antiquorum* igne absumpsit. Iis vero, qui ab aliis coacti, eo supplicii genere lucubrationes suas sustulerunt, adjicimus GOTTESCHALCUM, Fulgentii etiam nomine sæculo a C. N. nono celebrem, qui ob suam de Prædestinatione sententiam in Synodo Moguntina A. DCCCXLVIII. damnatus, atque A. DCCCXLIX. ex sententia Synodi Carisiacensis sacerdotali dignitate privatus, ac ne latius sua dogmata spargeret, apud Altivillarensis Cœnobii Monachos ergastulo inclusus, & juxta ordinis sui regulam durissimis verberibus eo usque castigatus fuit, donec librum, quem adversus Rabanum Maurum, Archiepiscopum Moguntinum, de Prædestinatione scripserat, ipse suis manibus flammis traderet (*m*).

(o)

III.

(*m*) Vid. Guil. Cave Histor. litter. Scriptorum Ecclesiast. Part. I. f. 372.

III.

SCHEDIASMA HISTORICO-PHILOSOPHICUM

DE CONVENIENTIA

NUMERORUM PYTHAGORAE

CUM

IDEIS PLATONIS

HARUMQUE EX ILLIS ORIGINE

SUPPLEMENTO HISTORIAE DE IDEIS

INSERVIENS

AB

EJUSDEM HISTORIAE AVCTORE

CONSCRIPTUM.

PRÆ-

PRAEFATIO.

PAucis Te volumus, Lector Benevole, in brevis ſcriptionis limine multis non detinendum. Damus Tibi aliquam ad *Hiſtoriam philoſophicam doctrinæ de ideis* acceſſionem, eamque ad philoſophiæ Græcanicæ naturam atque partes pernoſcendas neceſſariam, prolixiorem ſcilicet explicationem eorum, quæ, origines doctrinæ de ideis ſcrutati, de veſtigiis ejus in Pythagorea philoſophia occurrentibus in initio fere (*a*) diximus. Quanquam enim Plato primus fuit, qui de ideis diſceptationem inſtituit, quippe nondum audita in explicatione principiorum naturalium iſta voce, quanquam primus paulo certius & luculentius iſtam tradidit doctrinam & ex inſtituto de hac re fuit philoſophatus; recte tamen AVGVSTINVS (*b*) Jam monuit, *non ſi hoc nomen, antequam Plato inſtitueret, non erat, ideo res ipſas non fuiſſe, quas ideas vocavit, vel a nullo*

(*a*) Sect. I. §. 2. p. 8. ſqq.
(*b*) Octog. tr. Qq. q. 46. Tom. III. opp. p. 388. Ed. Bas.

lo fuiſſe intellectas, ſed alio fortaſſe atque alio nomine ab aliis nuncupatas fuiſſe. Id quod in primis de Pythagoreis dictum eſſe, olim jam monuimus. (*c*) Penitius itaque ea, quæ de hac ſecta nobis ſuperſunt, monumenta rimati, potiora ibi, quæ Plato de ideis tradidit, deprehendimus, in hoc quoque argumenti genere edocti, Platonem ex ſectæ Italicæ fluentis ſua prata irrigaſſe. Quamvis & hoc quoque negandum non ſit, iſta quibus niti cogimur, monumenta a ſequioris ætatis hominibus potiorem partem eſſe nobis relicta, nec poſſe ex ipſo Pythagora, ejusque genuinis diſcipulis, ut in Platonicæ philoſophiæ hiſtoria fecimus, hujus doctrinæ partes probari: in cujus cauſas accurate quoque inquiſivimus, & obſcuritatem ac difficultates in hac hiſtoriæ philoſophicæ parte planas fecimus, noſtra intereſſe rati, ut, quantum fidei & certitudinis vel probabilitatis hiſtoria philoſophiæ Pythagoreæ habeat, innoteſcat. Nondum igitur nos pœnitet, a Platone certam doctrinæ de ideis hiſtoriæ originem duxiſſe; noſcenda

(*c*) l. c. p. 11.

da tamen & Pythagorea ſunt, ut primas quoque origines & radices inveſtigemus, & quantum nobis licet, hujus philoſophiæ genium pernoſcamus; novo ſimul, quem ſuſcepti laboris noſtri fructum ſperamus nec malevolis contemnendum, ſpecimine docendi, quantum ſit in humanis ingeniis, etiam maximis & ad divinitatem relatis, inane, & quam vere pariter atque pie olim ANTONIVS (*d*) cecinerit:

Percurri, fateor, ſectas, Antonius, omnes
Plurima quæſivi, per ſingula quæque cucurri
Nec tamen inveni melius, quam credere CHRISTO.

Scr. Quart. Cal. Februar. A. S. R. cIↃIↃccXXVII.

ARGV-

(*d*) In V. C. LVD. ANT. MVRATORII *Anecdot. Tom. I. Mediol. 1697. 4. edito.*

ARGVMENTVM.

§. I. *Plato multa a veteribus hauſit, maxime ex ſecta Italica. Ariſtoteles, Porphyrius, Apulejus teſtes adducti. Adiit Plato Italiam; quos philoſophos audiverit? Ciceronis luculentus locus.* §. II. *Plato doctrinam de ideis hauſit a Pythagora; id monitum in hiſtoria de ideis; idem ſentientes Cudworthus, Wolfius, Morhofius, Claubergius, Burnetus, & ex veteribus Tertullianus. Calanna notatus.* §. III. *Doctrina Pythagoræ de numeris obſcuriſſima. Egregia de eo obſervatio Burneti. Nihil auxilii apud eos, a quibus didicit Arithmeticam; Phœnices Pythagoræ magiſtri in Arithmeticis; Porphyrii, Aupuleji, Joſephi teſtimonia. Fuit tantum arithmetica vulgaris. Phœnicibus philoſophi pauciſſimi; Moſchus, perperam idem cum Moſe Huetio. Aegyptiorum philoſophia impoſtura Arithmetica, philoſophica Pythagoræ inventum. Stobæus laudatus, Schefferus notatus. Ex Pythagora & diſcipulis potiora haurienda.* §. IV. *Circa Pythagoreæ philoſophiæ hiſtoriam obſcuritas & difficultates maximæ & vix ſuperandæ. Primæ, quia Pythagoræ & vetuſtiſſimorum Pythagoreorum ſcripta non dantur. Pythagoras an aliquid ſcripſerit? Affirmantes Laërtius, Plinius, Suidas, Proclus; Hieronymus incertus. Ex recentioribus Aldobrandinus, Schefferus. Negantes Plutarchus, Joſephus, Lucianus, Ariſtides, Auguſtinus, Porphyrius, Claudius Mamertus; ex recentioribus Beſſario, Lipſius, Tennulius, Menagius, Burnetus, Balius. In horum ſententiam deceditur. Conſenſus veterum & naturæ Philoſophiæ Italicæ in hac re. Plures Pythagoræ inter ſe confuſi. Occaſio prima conſcribendæ Pythagoricæ philoſophiæ. Cauſa cur Pythagoræ libri adſcripti. Diſcipuli magiſtri nomen libris præfigentes, Jamblichus illuſtratus & vindicatus. Plinius in caſſum diſſentiens.* §. V. *A Pythagoræ diſcipulis meliora non expectanda. Libros non ſcribebant, ſed ex memoria docebant. Plutarchus, Jamblichus, Porphyrius teſtes laudati. Interdum ſcripta ſuis tan-*

tum hominibus tradita. Porphyrii & Clementis Alexandrini de hac re obſervationes. Plato librum Pythagoricum nactus. Non initiati pervertentes philoſophiam Pythagoream, Porbyrio auctore. Cauſa cur tam pauca Pythagoreorum ſcripta reliqua. Recentiores Pythagoram ſæpe non aſſecuti. §. VI. Philoſophiæ Italicæ habitus & natura nihil certi promittit. Methodus arcani, & ſacrum ſilentium Pythagoreorum. Symbolis pleraque propoſita, ea loco fabularum non feliciori ſucceſſu adhibita: eorum incertæ explicationes. Numeri meræ ænigmata. Initiatis gradus quatuor. Acroamaticam explicationem pollicentibus non fidendum. Inventa media inter methodum exſotericam & eſotericam. §. VII. Dialectus Dorica a Pythagoreis amata. De cauſa ejus variæ ſententiæ. Dorica dialectus antiquiſſima & numeroſiſſima; eadem obſcurior quoque. Zenonis cujusdam ad Tiberium vox. Dialectus fuit Pythagoræ vernacula, quam deamarunt Pythagorei. Res ipſa verbis obſcurior. Numeri ad rerum principia exponenda inepti. Ariſtotelis ſententia & Burneti. Pythagoras & Plato phyſicas rationes in mathematicas convertentes. §. VIII. In explicandis numeris Pythagoricis plerique ad nugas delapſi. Oſii Kircheri & Bungi conatus. Concluſio infertur, nihil in philoſophia Pythagoreæ hiſtoria certi afferri poſſe, pleraque ad conjecturas redire. §. IX. Plato in Pythagoræ caſtris militaſſe dicendus. Vterque ad enthuſiaſmum philoſophicum pronior. Veteres philoſophi ad emanationem rerum ſpiritualium ex Deo quomodo delapſi. §. X. Convenientia numerorum Pythagoricorum & idearum Platonicarum argumenta. I. Idem utriusque doctrina ut totius philoſophiæ apud utrumque fundamentum, κοσμοποια in ψυχογονιαν converſa. Burneti obſervatio. Deus Pythagoræ quid? quid numeri? Plutarchi teſtimonium. Quid unum & diverſum apud Pythagoram? Porphyrius notatus. Binarius numerus materia eſſe non poteſt. Philoſophum. Origenis verba expoſita. Dyas cum numerus ſit, cur caligo dicatur? Aliena luce fulgurat; Oracula adducta. §. XI. Definit II. Pythagoras

goras numerum, ut Plato ideam. Numeri definitio apud Nicomachum, & Jamblichum, Hippasi sectatores, Philolaum Alexandrum Aphrodisæum, Porphyrium, Simplicius & Auctor Theologum. in partes vocati. III. Distinguit Pythagoras numeros, ut Plato ideas. Numeri divisi in intellectuales & scientificos. Quid numerus intellectualis? quid scientificus vel mathematicus? Quomodo differant unitas & unum? Moderatus & Anonymus apud Photium in diversa abeuntes. §. XII. Origo IV. numerorum & idearum eadem, mens divina. Vnitas fons numerorum. Oraculorum effatum. Galei emendatio hujus loci: Synesius impie pythagorizans. Monas cur ὅλη dicatur? Vnitas Pythagoræ suo modo materialis, ignis scilicet subtilissimus; materiæ tamen crassiori opposita, & ideo spiritualis dicta. Testimonia veterum Hermiæ, Macrobii. Vnitatis nomina. Cur unitas dicta ἀρρενόθηλυς? Connubium unitatis & dualitatis. Deus cur gentilibus mas & fœmina? Emanatio substantiarum spiritualium ex Deo. Duplex coæternum principium hic frustra allegatum. V. Numerorum dignitas eadem, quæ idearum. Sunt principia rerum sensibilium. Sextus Empiricus, Photius, Simplicius & Philosophumena Origenis de hac re. Divinæ naturæ sunt. Jamblichi verba. §. XIII. Numeri ratione hominis cum idois conveniunt. Nam VI. Anima vel mens potius Phytagora & Platone ex eodem fonte derivata: Is Dei essentia. Quid anima Pythagoræ? Plutarchi, Laërtii, Ciceronis relationes. Mens & anima sideralis non confundendæ. Mentes quaternione constant. Variant Pythagorei, placita sua ipsi non satis intelligentes. VII. Corpus carcer mentis utrique philosopho. Animæ e cælo delapsæ & corpori inclusæ. Laërtius illustratus. Hinc VIII. philosophiæ finis idem utrique liberatio a vinculis corporis. Mors philosophica quid? Jamblichi & Hieroclis explicatio. Finis liberationis cognitio intellectualium, id est, numerorum. Porphyrii testimonium. §. XIV. Objectum philosophiæ IX. a Phytagora constitutum numeri, ut a Pla-

tone ideæ. Porphyrius iterum adductus & expositus. Numeri pabulum mentium philosophicarum, ut ideæ. Numeri scientifici ad hunc finem consequendum adhibiti: Moderatus Gaditanus de ea re. Theologia in numeris. Mathesis Pythagoræ reminiscentia, ut Platoni Dialectica. Mens numeros in se habet. Mens omnia videt & audit. §. XV. Finis philosophiæ ultimus X. de numeris & ideis par utrique Philosopho: Deo fieri similem, immo ipsum Deum. Carmen aureum in hanc rem & Hierocles. Empedoclis vox. Sextus Empiricus illustratus. XI. Media eluctandi Phytagoræ & Platoni eadem. Exacta numerorum cognitio Phytagoræ summa sapientia. Laertii, Aeliani, Stobæi, Theodoreti loca. §. XVI. Epilogus. Plato ideas a numeris Pythagoræ didicit. Multa in doctrina de numeris obscura nec satis intellecta, clariora expectanda ab aliis.

DE

DE CONVENIENTIA NUMERORUM PYTHAGORAE CVM IDEIS PLATONIS.

§. I.

QUod in veterum doctrinarum historia attendentibus sæpius observatur, multa dogmata, quæ novitatis speciem præ se ferunt, antiquioribus deberi magistris, radicesque ante ista, quibus tanquam recens nata venduntur, tempora egisse; id de Platone quoque ejusque hypothesibus dicendum est. Etsi enim multa, immo plurima sua esse persuasit discipulis, ex vetustiorum tamen philosophorum scholis hausit pleraque. Imprimis vero sectæ Italicæ scrinia expilavit sedulus, potioremque disciplinæ suæ partem Pythagoricis ornavit spoliis. Quod ut ex ipsa utriusque sectæ doctrinarum collatione & comparatione satis constat, ita nec discipulos Platonis atque assecias latuit, potuitve negari. Ipse enim ARISTOTELES *Metaphys. l.* I. *c.* 6. monet Platonem coluisse φιλοσοφίαν τὰ πολλὰ τοῖς

Πυθαγορείοις ἀναπολουθούσαν, *Philoſophiam in multis Pythagoreos ſequentem.* Nec minus luculenter PORPHYR. *de vita Pyth. p. m.* 36. edit. Rom. *num.* 59. *pag.* 49. edit. Bat. πρὸς δὲ τούτοις τὸν Πλάτωνα, καὶ Ἀριστοτέλη, Σπεύσιππόντε καὶ Ἀριστόξενον καὶ Ξενοκράτην ὡς φάσιν οἱ Πυθαγόρειοι, τὰ μὲν κάρπιμα σφετερίσασθαι διὰ βραχείας ἐπισευῆς, τὰ δὲ ἐπιπόλαια καὶ ἐλαφρὰ, καὶ ὅσα πρὸς διασυὴν καὶ χλευασμὸν τοῦ διδασκαλείου ὑπὸ τῶν βασκάνως ὕστερον συνοφαντούντων προβάλλεται, συναγαγεῖν, καὶ ὡς ἴδια τῆς αἱρέσεως καταχρίσαι. *Accedit etiam, quod plato, Ariſtoteles & Speuſippus item Ariſtoxenus & Xenocrates, ut Pythagorei affirmant, utiliſſima quidem pro ſuis venditarint, pauculis quibusdam immutatis: vulgaria autem ac leviora, & quaecunque ad ſubvertendam atque irridendam Pythagoreorum ſcholam ab invidis & calumniatoribus poſtea excogitata ſunt, coacervaverint, & ut ſecta ejus propria reliquerint.* Quorum prius omnino de Platone & coævis philoſophis verum eſt, poſterius tamen ſequioribus demum temporibus accidit, ut nec ipſe diffitetur Porphyrius. Nemo vero candidius APULEJO Platonico, *Florid. c.* 15. *p. m.* 359. edit. Scriv. vel ut in vulgaribus eſt, *l. II. in fin. Noſter Plato nihil ab hac ſecta,* (Pythagorica)

ta) *vel paulum devius pythagoriſſat.* Id quod mirum videri non debet, quemadmodum enim Plato præſtantiores philoſophos literariis itineribus adiit, eorumque latices in ſua prata derivavit; ita quoque in Italiam profectus, Philolaum, Eurytum Tarentinum, & ſeniorem Archytam Timæum quoque audivit, & ex eorum inſtitutione profecit ampliſſime. Cujus teſtis eſt CICERO *Tuſc. Qq. l. I.* qui, *Platonem ferunt*, ait, *ut Pythagoreos cognoſceret, in Italiam veniſſe, & in ea cum alios multos, tum Archytam Timaumque cognoviſſe, & didiciſſe Pythagorea omnia; primumque de animarum æternitate non ſolum ſenſiſſe idem, quod Pythagoras, ſed rationem etiam attuliſſe.* Philolaum & Eurytum audiviſſe refert DIOG. LAERT. *l. III. ſ.* 6. quem vide, add. CICERO *de finib. l. V.* ubi luculenter: *Niſi enim id faceret, cur Plato Aegyptum peragravit, ut a barbaris Sacerdotibus numeros & cœleſtia acciperet? cur poſt Tarentum ad Archytam? cur ad reliquos Pythagoreos, Echecratem, Timæum, Acrionem, Locros? ut, cum Socratem expreſſiſſet, adjungeret Pythagoreorum diſciplinam, eaque quæ Socrates repudiabat, addiſceret.* Paria habet HIERONYMUS *Epiſtol. ad Paul. libr. II. epiſt. I.*

quem, ne longiores ſimus, non exſcribimus.

§. II.

Non injuriam itaque facimus Platoni, ſi, ex parte ſaltem eum Pythagoræ caſtra ſecutum fuiſſe aſſeramus: nec male nos agere putandum, ſi Platonis dogmata in Italicis ſcholis quæramus. Samiumque ſenem comparemus cum iſto philoſopho. Id in præſentia in doctrina de ideis, qua nihil celebrius habuit Platonis Academia, cum dogmate de numeris comparanda, in quibus ſapientiæ apicem & myſteriorum ſuorum ſummam poſuit ſecta Italica, agemus, eaque fuſius probabimus, quæ paucis tantum, & ὡς ἐν παρόδῳ *in Hiſtor. philoſoph. doctr. de ideis Sect. I. §. 2. p. 8. ſeq.* diximus, ſcholæ Italicæ numeros cum Platonis ideis quam maxime convenire. Licet enim ibi ſatis probatum dederimus, Platonem primum fuiſſe, qui ideæ vocem ad ejusmodi ſubſtantias intellectuales applicuerit, & de iis ex inſtituto fuerit philoſophatus: certum tamen eſt, multa in iſtam doctrinam ex Pythagoricis numeris eum tranſtuliſſe, multa debere ſectæ Italicæ. Id quod & facta comparatione patebit manifeſte, & a viris veterum

rum doctrinarum peritiſſimis jam obſervatum eſt. Ex quibus præter CVDWORTHVM in *Syſtem. intellect. p.* 388. & Vener. JO. CHR. WOLFIVM *in not. ad Origen. philoſophum. p.* 31. DAN. GEOR. MORHOFIVS *Polyh. liter. T. II. l. I. cap.* 2. *§.* 4. *p.* 13. quem locum tamen Wolfius ex Mſc. laudat, non inconcinne: *Ego quod ad numeros attinet, exiſtimo, Pythagoram illis uſum fuiſſe, ut ideis ſuis Platonem, formis Ariſtotelem, lineolis ſuis Chinenſes. Res enim eodem recidit, an verbo quodam rationali, an ſignis exprimantur rerum differentiæ, ad conceptum enim mentis omnia referuntur.* Eadem non affirmat ſolum, ſed confirmat etiam accurate, ut ſolet, acutiſſimus philoſophus JOAN. CLAVBERGIVS peculiari epiſtola ad SAM. TENNVLIUM, data, quam hic *notis ad Jambl. introd. in Arith. Nicomachi p.* 177. *ſeq.* inſeruit, quæ cum longior ſit, quam ut hic locum capeat, lectorem ad eum remittimus. THOMAS BVRNETVS vero, vir in perſpiciendis veterum hypotheſibus feliciſſimus, in *Archeolog. philoſoph. l. I. c.* 11. *p.* 428. *ſeq.* totus in eo eſt, ut demonſtret, *aut per numeros intelligendas eſſe cauſas exemplares, imagines quasdam rerum e ſuis cauſis orientium,*

PRAEFATIO.

PAucis Te volumus, Lector Benevole, in brevis ſcriptionis limine multis non detinendum. Damus Tibi aliquam ad *Hiſtoriam philoſophicam doctrinæ de ideis* acceſſionem, eamque ad philoſophiæ Græcanicæ naturam atque partes pernoſcendas neceſſariam, prolixiorem ſcilicet explicationem eorum, quæ, origines doctrinæ de ideis ſcrutati, de veſtigiis ejus in Pythagorea philoſophia occurrentibus in initio fere (*a*) diximus. Quanquam enim Plato primus fuit, qui de ideis diſceptationem inſtituit, quippe nondum audita in explicatione principiorum naturalium iſta voce, quanquam primus paulo certius & luculentius iſtam tradidit doctrinam & ex inſtituto de hac re fuit philoſophatus; recte tamen AVGVSTINVS (*b*) Jam monuit, *non ſi hoc nomen, antequam Plato inſtitueret, non erat, ideo res ipſas non fuiſſe, quas ideas vocavit, vel a nulla*

(*a*) Sect. I. §. 2. p. 8. ſqq.
(*b*) Octog. tr. Qq. q. 46. Tom. III. opp. p. 388. Ed. Bas.

lo fuiſſe intellectas, ſed alio fortaſſe atque alio nomine ab aliis nuncupatas fuiſſe. Id quod in primis de Pythagoreis dictum eſſe, olim jam monuimus. (*c*) Penitius itaque ea, quæ de hac ſecta nobis ſuperſunt, monumenta rimati, potiora ibi, quæ Plato de ideis tradidit, deprehendimus, in hoc quoque argumenti genere edocti, Platonem ex ſectæ Italicæ fluentis ſua prata irrigaſſe. Quamvis & hoc quoque negandum non ſit, iſta quibus niti cogimur, monumenta a ſequioris ætatis hominibus potiorem partem eſſe nobis relicta, nec poſſe ex ipſo Pythagora, ejusque genuinis diſcipulis, ut in Platonicæ philoſophiæ hiſtoria fecimus, hujus doctrinæ partes probari: in cujus cauſas accurate quoque inquiſivimus, & obſcuritatem ac difficultates in hac hiſtoriæ philoſophicæ parte planas fecimus, noſtra intereſſe rati, ut, quantum fidei & certitudinis vel probabilitatis hiſtoria philoſophiæ Pythagoreæ habeat, innoteſcat. Nondum igitur nos pœnitet, a Platone certam doctrinæ de ideis hiſtoriæ originem duxiſſe; noſcenda

(*c*) l. c. p. 11.

da tamen & Pythagorea ſunt, ut primas quoque origines & radices inveſtigemus, & quantum nobis licet, hujus philoſophiæ genium pernoſcamus; novo ſimul, quem ſuſcepti laboris noſtri fructum ſperamus nec malevolis contemnendum, ſpecimine docendi, quantum ſit in humanis ingeniis, etiam maximis & ad divinitatem relatis, inane, & quam vere pariter atque pie olim ANTONIVS (*d*) cecinerit:

Percurri, fateor, ſectas, Antonius, omnes
Plurima quæſivi, per ſingula quæque cucurri
Nec tamen inveni melius, quam credere CHRISTO.

Scr. Quart. Cal. Februar. A. S. R. CIↃIↃCCXXVII.

ARGV-

(*d*) In V. C. LVD. ANT. MVRATORII *Anecdot. Tom. I. Mediol.* 1697. 4. *edito.*

ARGVMENTVM.

§. I. *Plato multa a veteribus hauſit, maxime ex ſecta Italica. Ariſtoteles, Porphyrius, Apulejus teſtes adducti. Adiit Plato Italiam; quos philoſophos audiverit? Ciceronis luculentus locus.* §. II. *Plato doctrinam de ideis hauſit a Pythagora; id monitum in hiſtoria de ideis; idem ſentientes Cudworthus, Wolfius, Morhofius, Claubergius, Burnetus, & ex veteribus Tertullianus. Calanna notatus.* §. III. *Doctrina Pythagoræ de numeris obſcuriſſima. Egregia de eo obſervatio Burneti. Nihil auxilii apud eos, a quibus didicit Arithmeticam: Phœnices Pythagoræ magiſtri in Arithmeticis; Porphyrii, Aupuleji, Joſephi teſtimonia. Fuit tantum arithmetica vulgaris. Phœnicibus philoſophi pauciſſimi; Moſchus, perperam idem cum Moſe Huetio. Aegyptiorum philoſophia impoſtura Arithmetica, philoſophica Pythagoræ inventum. Stobæus laudatus, Scheferus notatus. Ex Pythagora & diſcipulis potiora hauriendа.* §. IV. *Circa Pythagoreæ philoſophiæ hiſtoriam obſcuritas & difficultates maximæ & vix ſuperandæ. Prima, quia Pythagoræ & vetuſtiſſimorum Pythagoreorum ſcripta non dantur. Pythagoras an aliquid ſcripſerit? Affirmantes Laërtius, Plinius, Suidas, Proclus; Hieronymus incertus. Ex recentioribus Aldobrandinus, Scheferus. Negantes Plutarchus, Joſephus, Lucianus, Ariſtides, Auguſtinus, Porphyrius, Claudius Mamertus; ex recentioribus Beſſario, Lipſius, Tennulius, Menagius, Burnetus, Balius. In horum ſententiam decedi-tur. Conſenſus veterum & naturæ Philoſophiæ Italicæ in hac re. Plures Pythagoræ inter ſe confuſi. Occaſio prima conſcribendæ Pythagoricæ philoſophiæ. Cauſa cur Pythagoræ libri adſcripti. Diſcipuli magiſtri nomen libris præfigentes, Jamblichus illuſtratus & vindicatus. Plinius in caſſum diſſentiens.* §. V. *A Pythagoræ diſcipulis meliora non expectanda. Libros non ſcribebant, ſed ex memoria docebant. Plutarchus, Jamblichus, Porphyrius teſtes laudati. Interdum ſcripta ſuis tan-*

tum hominibus tradita. Porphyrii & Clementis Alexandrini de hac re obſervationes. Plato librum Pythagoricum nactus. Non initiati pervertentes philoſophiam Pythagoream, Porhyrio auctore. Cauſa cur tam pauca Pythagoreorum ſcripta reliqua. Recentiores Pythagoram ſæpe non aſſecuti. §. *VI. Philoſophiæ Italicæ habitus & natura nihil certi promittit. Methodus arcani, & ſacrum ſilentium Pythagoreorum. Symbolis pleraque propoſita, ea loco fabularum non feliciori ſucceſſu adhibita: eorum incertæ explicationes. Numeri meræ ænigmata. Initiatis gradus quatuor. Acroamaticam explicationem pollicentibus non fidendum. Inventa media inter methodum exſotericam & eſotericam.* §. *VII. Dialectus Dorica a Pythagoreis amata. De cauſa ejus varia ſententia. Dorica dialectus antiquiſſima & numeroſiſſima; eadem obſcurior quoque. Zenonis cujusdam ad Tiberium vox. Dialectus fuit Pythagoræ vernacula, quam deamarunt Pythagorei. Res ipſa verbis obſcurior. Numeri ad rerum principia exponenda inepti. Ariſtotelis ſententia & Burneti. Pythagoras & Plato phyſicas rationes in mathematicas convertentes.* §. *VIII. In explicandis numeris Pythagoricis plerique ad nugas delapſi. Oſii Kircheri & Bungi conatus. Concluſio infertur, nihil in philoſophia Pythagoræa hiſtoria certi afferri poſſe, pleraque ad conjecturas redire.* §. *IX. Plato in Pythagoræ caſtris militaſſe dicendus. Uterque ad enthuſiaſmum philoſophicum pronior. Veteres philoſophi ad emanationem rerum ſpiritualium ex Deo quomodo delapſi.* §. *X. Convenientia numerorum Pythagoricorum & idearum Platonicarum argumenta. I. Idem utriusque doctrina ut totius philoſophiæ apud utrumque fundamentum,* κοσμοποια *in* θεογονιαν *converſa. Burneti obſervatio. Deus Pythagoræ quid? quid numeri? Plutarchi teſtimonium. Quid unum & diverſum apud Pythagoram? Porphyrius notatus. Binarius numerus materia eſſe non poteſt. Philoſophum. Origenis verba expoſita. Dyas cum numerus ſit, cur caligo dicatur? Aliena luce fulgurat; Oracula adducta.* §. *XI. Definit II. Pytha-*

goras

goras numerum, ut Plato ideam. Numeri definitio apud Nicomachum, & Jamblichum, Hippasi sectatores, Philolaum Alexandrum Aphrodisæum, Porphyrium, Simplicius & Auctor Theologum. in partes vocati. III. Distinguit Pythagoras numeros, ut Plato ideas. Numeri divisi in intellectuales & scientificos. Quid numerus intellectualis? quid scientificus vel mathematicus? Quomodo differant unitas & unum? Moderatus & Anonymus apud Photium in diversa abeuntes. §. XII. Origo IV. numerorum & idearum eadem, mens divina. Vnitas fons numerorum. Oraculorum effatum. Galei emendatio hujus loci: Synesius impie pythagorizans. Monas cur ὂν dicatur? Vnitas Pythagoræ suo modo materialis, ignis scilicet subtilissimus; materiæ tamen crassiori opposita, & ideo spiritualis dicta. Testimonia veterum Hermiæ, Macrobii. Vnitatis nomina. Cur unitas dicta ἀμφοτερόμορφος? Connubium unitatis & dualitatis. Deus cur gentilibus mas & fœmina? Emanatio substantiarum spiritualium ex Deo. Duplex coæternum principium hic frustra allegatum. V. Numerorum dignitas eadem, quæ idearum. Sunt principia rerum sensibilium. Sextus Empiricus, Photius, Simplicius & Philosophumena Origenis de hac re. Divinæ naturæ sunt. Jamblichi verba. §. XIII. Numeri ratione hominis cum idois conveniunt. Nam VI. Anima vel mens potius Phytagoræ & Platone ex eodem fonte derivata: Is Dei essentia. Quid anima Pythagoræ? Plutarchi, Laërtii, Ciceronis relationes. Mens & anima sideralis non confundendæ. Mentes quaternione constant. Variant Pythagorei, placita sua ipsi non satis intelligentes. VII. Corpus carcer mentis utrique philosopho. Animæ e cœlo delapsæ & corpori inclusæ. Laërtius illustratus. Hinc VIII. philosophiæ finis idem utrique liberatio a vinculis corporis. Mors philosophica quid? Jamblichi & Hieroclis explicatio. Finis liberationis cognitio intellectualium, id est, numerorum. Porphyrii testimonium. §. XIV. Objectum philosophiæ IX. a Phytagoræ constitutum numeri, ut a Pla-

tone ideæ. Porphyrius iterum adductus & expositus. Numeri pabulum mentium philosophicarum, ut ideæ. Numeri scientifici ad hunc finem consequendum adhibiti: Moderatus Gaditanus de ea re. Theologia in numeris. Mathesis Pythagoræ reminiscentia, ut Platoni Dialectica. Mens numeros in se habet. Mens omnia videt & audit. §. XV. Finis philosophiæ ultimus X. de numeris & ideis par utrique Philosopho: Deo fieri similem, immo ipsum Deum. Carmen aureum in hanc rem & Hierocles. Empedoclis vox. Sextus Empiricus illustratus. XI. Media eluctandi Phytagoræ & Platoni eadem. Exacta numerorum cognitio Phytagoræ summa sapientia. Laertii, Aeliani, Stobæi, Theodoreti loca. §. XVI. Epilogus. Plato ideas a numeris Pythagoræ didicit. Multa in doctrina de numeris obscura nec satis intellecta, clariora expectanda ab aliis.

DE

DE CONVENIENTIA NUMERORUM PYTHAGORAE CVM IDEIS PLATONIS.

§. I.

QUod in veterum doctrinarum historia attendentibus sæpius observatur, multa dogmata, quæ novitatis speciem præ se ferunt, antiquioribus deberi magistris, radicesque ante ista, quibus tanquam recens nata venduntur, tempora egisse; id de Platone quoque ejusque hypothesibus dicendum est. Etsi enim multa, immo plurima sua esse persuasit discipulis, ex vetustiorum tamen philosophorum scholis hausit pleraque. Imprimis vero sectæ Italicæ scrinia expilavit sedulus, potioremque disciplinæ suæ partem Pythagoricis ornavit spoliis. Quod ut ex ipsa utriusque sectæ doctrinarum collatione & comparatione satis constat, ita nec discipulos Platonis atque assecias latuit, potuitve negari. Ipse enim ARISTOTELES *Metaphys. l.* I. *c.* 6. monet Platonem coluisse φιλοσοφίαν τὰ πολλὰ τοῖς

Πυθαγορείοις ἀναπολουθούσαν, *Philoſophiam in multis Pythagoreos ſequentem.* Nec minus luculenter PORPHYR. *de vita Pyth. p. m.* 36. edit. Rom. *num.* 59. *pag.* 49. edit. Bat. πρὸς δὲ τούτοις τὸν Πλάτωνα, καὶ Ἀριστοτέλη, Σπεύσιππόντε καὶ Ἀριστόξενον καὶ Ξενοκράτην ὡς φάσιν οἱ Πυθαγόρειοι, τὰ μὲν κάρπιμα σφετερίσασθαι διὰ βραχείας ἐπισευῆς, τὰ δὲ ἐπιπόλαια καὶ ἐλαφρὰ, καὶ ὅσα πρὸς διασυὴν καὶ χλευασμὸν σοῦ διδασκαλείου ὑπὸ τῶν βασκάνως ὕστερον συκοφαντούντων προβάλλεται, συναγαγεῖν, καὶ ὡς ἴδια τῆς αἱρέσεως καταχρίσαι. *Accedit etiam, quod plato, Ariſtoteles & Speuſippus item Ariſtoxenus & Xenocrates, ut Pythagorei affirmant, utiliſſima quidem pro ſuis venditarint, pauculis quibusdam immutatis: vulgaria autem ac leviora, & quaecunque ad ſubvertendam atque irridendam Pythagoreorum ſcholam ab invidis & calumniatoribus poſtea excogitata ſunt, coacervaverint, & ut ſecta ejus propria reliquerint.* Quorum prius omnino de Platone & coævis philoſophis verum eſt, poſterius tamen ſequioribus demum temporibus accidit, ut nec ipſe diffitetur Porphyrius. Nemo vero candidius APULEJO Platonico, *Florid. c.* 15. *p. m.* 359. edit. Scriv. vel ut in vulgaribus eſt, *l. II. in fin. Noſter Plato nihil ab hac ſecta,* (Pythagorica)

ta) *vel paulum devius pythagoriſſat.* Id quod mirum videri non debet, quemadmodum enim Plato præſtantiores philoſophos literariis itineribus adiit, eorumque latices in ſua prata derivavit; ita quoque in Italiam profectus, Philolaum, Eurytum Tarentinum, & ſeniorem Archytam Timæum quoque audivit, & ex eorum inſtitutione profecit ampliſſime. Cujus teſtis eſt CICERO *Tuſc. Qq. l. I.* qui, *Platonem ferunt*, ait, *ut Pythagoreos cognoſceret, in Italiam veniſſe, & in ea cum alios multos, tum Archytam Timæumque cognoviſſe, & didiciſſe Pythagorea omnia; primumque de animarum æternitate non ſolum ſenſiſſe idem, quod Pythagoras, ſed rationem etiam attuliſſe.* Philolaum & Eurytum audiviſſe refert DIOG. LAERT. *l. III. ſ.* 6. quem vide, add. CICERO *de finib. l. V.* ubi luculenter: *Niſi enim id faceret, cur Plato Ægyptum peragravit, ut a barbaris Sacerdotibus numeros & cœleſtia acciperet? cur poſt Tarentum ad Archytam? cur ad reliquos Pythagoreos, Echecratem, Timæum, Acrionem, Locros? ut, cum Socratem expreſſiſſet, adjungeret Pythagoreorum diſciplinam, eaque quæ Socrates repudiabat, addiſceret.* Paria habet HIERONYMUS *Epiſtol. ad Paul. libr. II. epiſt. I.*

quem, ne longiores ſimus, non exſcribimus.

§. II.

Non injuriam itaque facimus Platoni, ſi, ex parte ſaltem eum Pythagoræ caſtra ſecutum fuiſſe aſſeramus: nec male nos agere putandum, ſi Platonis dogmata in Italicis ſcholis quæramus. Samiumque ſenem comparemus cum iſto philoſopho. Id in præſentia in doctrina de ideis, qua nihil celebrius habuit Platonis Academia, cum dogmate de numeris comparanda, in quibus ſapientiæ apicem & myſteriorum ſuorum ſummam poſuit ſecta Italica, agemus, eaque fuſius probabimus, quæ paucis tantum, & ὡς ἐν παρόδῳ *in Hiſtor. philoſoph. doctr. de ideis Sect. I. §. 2. p. 8. ſeq.* diximus, ſcholæ Italicæ numeros cum Platonis ideis quam maxime convenire. Licet enim ibi ſatis probatum dederimus, Platonem primum fuiſſe, qui ideæ vocem ad ejusmodi ſubſtantias intellectuales applicuerit, & de iis ex inſtituto fuerit philoſophatus: certum tamen eſt, multa in iſtam doctrinam ex Pythagoricis numeris eum tranſtuliſſe, multa debere ſectæ Italicæ. Id quod & facta comparatione patebit manifeſte, & a viris veterum

rum doctrinarum peritiſſimis jam obſervatum eſt. Ex quibus præter CVDWORTHVM in *Syſtem. intellect. p.* 388. & Vener. JO. CHR. WOLFIVM *in not. ad Origen. philoſophum. p.* 31. DAN. GEOR. MORHOFIVS *Polyh. liter. T. II. l. I. cap.* 2. §. 4. *p.* 13. quem locum tamen Wolfius ex Mſc. laudat, non inconcinne: *Ego quod ad numeros attinet, exiſtimo, Pythagoram illis uſum fuiſſe, ut ideis ſuis Platonem, formis Ariſtotelem, lineolis ſuis Chinenſes. Res enim eodem recidit, an verbo quodam rationali, an ſignis exprimantur rerum differentiæ, ad conceptum enim mentis omnia referuntur.* Eadem non affirmat ſolum, ſed confirmat etiam accurate, ut ſolet, acutiſſimus philoſophus JOAN. CLAVBERGIVS peculiari epiſtola ad SAM. TENNVLIUM, data, quam hic *notis ad Jambl. introd. in Arith. Nicomachi p.* 177. *ſeq.* inſeruit, quæ cum longior ſit, quam ut hic locum capeat, lectorem ad eum remittimus. THOMAS BVRNETVS vero, vir in perſpiciendis veterum hypotheſibus feliciſſimus, in *Archeolog. philoſoph. l. I. c.* 11. *p.* 428. *ſeq.* totus in eo eſt, ut demonſtret, *aut per numeros intelligendas eſſe cauſas exemplares, imagines quasdam rerum e ſuis cauſis orientium,*

aut nullam numerorum eos vel diverſam plane a nobis habuiſſe ideam. Imo nec recentiores tantum in eam ſententiam deſcenderunt, verum etiam ex veteribus TERTVLLIANVS Pythagoræ numeros cum Platonis ideis conjunxit, ita enim *de anima c.* 32. *Ceterum ſi atomos Epicuri tenerem, & numeros Pythagoræ viderem, & ideas Platonis offenderem, & entelechias Ariſtotelis occuparem, invenirem forte his quoque ſpeciebus animalia, quæ nomine contrarietatis opponerem.* Ex his ea dijudicari poſſunt, quæ PETR. CALANNA in *philoſophia ſeniorum p.* 68. excerpente V. C. JO. HENR. A SEELEN. *ſelect. liter. p.* 707. hac de re affert. *Quid aliud*, ait, *idea eſt, niſi exemplar, meta & menſura rei faciendæ? Pythagoras, ut ab eo exordiamur, & Pythagorei omnes numeros abſtractos, non tamen arithmeticos poſuerunt in Deo, quos ideas rerum faciendarum vocitabant, & in res phyſicas immutari arbitrati ſunt. Plato, Pythagoram ſecutus, ita corrigit: Non permutari quia perpetuæ ſint, ſed immutari.* Quæ an omnia ad Platonis mentem dicta ſint, facile diſpicere eſt, ſi ea conferamus, quæ in *Hiſt. de ideis Sect. I. §. 3. ſqq.* prolixe adducta ſunt.

§. III.

§. III.

Tranſtulit itaque ſuo modo numeros in ſcholam ſuam ex Pythagoræ ſecta Plato, nec contemnendam faciemus ad hiſtoriam doctrinæ de ideis acceſſionem, ſi, quæ Pythagoras hac de re docuit, imitatus eſt Plato, expendamus. Verum enim vero hic labor hoc opus eſt, tantaque hoc negotium circumſeptum difficultate, & rerum pariter atque verborum obſcuritate, ut vix invenias, ubi pedem figas. Recte enim & ex vero Itt. BVRNET. *l. c. p.* 426. monet: *Pythagoram in phyſiologia univerſi explicanda rejectis fabulis numeros ſubſtituiſſe, non feliciori exitu. Evanuiſſe enim paulatim iſtas rerum umbras, & fugiſſe ſenſus noſtros. Quis*, pergit, *unquam ſapientior evaſit ex numeris Pythagoricis? aut veritatem ſibi antea ignotam exinde didicit? Certe quas mihi contigit hactenus, aut apud veteres aut recentiores numerorum Pythagoricorum interpretationes inſpicere, notitias vulgares exhibent, quales aliunde facile eſſet addiſcere, aut tenues argutias de rerum principiis absque fundamento, & ſine fructu.* Nec aliunde illis lucem accendere, vel auxilii quicquam ab eis petere licet, a quibus arithmeticam

hauſiſſe

hauſiſſe dicitur Pythagoras. Didicit quidem eam philoſophus a Phœnicibus, quos diſciplinæ cauſa adierat, quosque *περὶ ἀριθμούς τε καὶ λογισμοὺς ἐπιμελῆθηναι*, *numerorum & proportionum ſtudioſiſſimos*, eamque ob cauſam a Pythagora ſalutatos fuiſſe ait PORPHYR. *de vita Pyth. p. m.* 4. edit. Batav. *p.* 8. *n.* 6. teſte, quem laudat, LYCO *l. IV. Hiſtor.* immo, ſi Joſepho apud VOSSIVM *de ſcient. mathem. c.* 8. fides eſt ab Aegyptiis quoque arithmeticam didicit, in quo adſtipulantem ſibi habet APVLEIVM *floríd. c.* 15. *p. m.* 358. *in Aegypto a ſacerdotibus in ceremoniarum credendas potentias, numerorum admirandas vices, Geometriæ ſolertiſſimas formulas didiciſſe Pythagoram*, aſſerentem; conf. JO. SCHEFFERVS *de nat. & conſtit. Phl. Ital. c. V. p.* 21. *ſeqq.* quos porro laudat; impetrare tamen a nobis non poſſumus ut credamus, ipſam philoſophiam de principiis univerſalibus, quam ſub Symbolis numerorum propoſuit Samius philoſophus, eum didiciſſe a Phœnicibus & Aegyptiis ſub ſchemate numerorum. Phœnices enim, qui mercaturæ cauſa totum fere terrarum orbem circumivere, ut erudite & prolixe probavit SAM. BOCHART. *Geograph. S. l. II. c.* 2. *ſeqq. p. m.* 367. *ſeqq.*

arith-

arithmeticam tantum vulgarem excoluerunt, & præter aſtronomiam ad dirigenda navium itinera neceſſàriam de philoſophicis doctrinis pauca delibarunt, ſi unum alterumve, licet & hos dubiæ fidei, exceperis, inter quos Moſchus fuiſſe dicitur, quem non ſolum eundem cum Moſe facit, ſed & ejus ſucceſſores Pythagoræ præceptores fuiſſe contendit PETR. DAN. HVETIVS. *Demonſtrat. Evang. Prop. IV.* §. 8. *p.* 53. invitis veterum teſtimoniis, id quod ante eum in Arcerio reprehendit SCHEFFERVS, *l. c. p.* 20. Aegyptiorum vero philoſophia, quantacunque etiam fuerit ejus celebritas, impoſtura magis fuit, quam ſapientia, exceptis iis diſciplinis, quas ad humanam utilitatem & commoditatem referebant, qualis fuit geometria; ſymbolorumque atque imaginum hieroglyphicarum umbris inanem tegebat loquacitatem, vanaque hominum otioſorum & ad decipiendum vulgus natorum factorumque ſomnia: unde nihil minus quam profunda veterum, ſi quæ modo fuit, phyſiologia ab iis diſci potuit ſi pauca ea exceperis quæ ex Hebræorum traditionibus in Aegypto erant reſidua. Rem alibi ſatis jam ab aliis probatam & facile probandam, quia limites

noſtros

noſtros excedit, multis non confirmamus, conferendus tamen accuratiſſimus HEVMANNVS *Act. philoſ. T. I. p.* 229. 634. *ſeqq.* & imprimis magnus CONRINGIVS *de Hermet. Ægypt. medicina c. XII. p. m.* 119. *ſeqq.* qui per omnes ſapientiæ partes eundo, quam tenuis earum fuerit eruditio, præſertim in rebus ad philoſophiam ſpectantibus, luculenter ſatis demonſtrat, ipſe omnino conſulendus. Quicquid igitur de numeris didicit Pythagoras, id ad numerorum rationes mathematicas, non ad phyſiologiæ principia & demonſtrationes, ſive, ut Pythagorico loquendi more utamur, numeros intellectuales referendum eſt, quas numerorum rationes Symbolicas ipſe denique Pythagoras, ex more Orientis ad principia philoſophica primus adhibuit. Quod non obſcure confirmat STOBAEVS Ecl. phyſic. c. 2. quando ita: *τὴν περὶ τοὺς ἀριθμοὺς πραγματείαν μάλιστα πάντων τιμῆσαι δοκεῖ Πυθαγόρας, καὶ προάγειν εἰς τὸ πρόσθεν ἀπαγαγὼν ἀπὸ τῆς τῶν ἐμπόρων χρείας, πάντα τὰ πράγματα ἀπεικάζων τοῖς ἀριθμοῖς. Αἰγύπτιοι δὲ Ἑρμοῦ φησὶν εὕρημα, ὃν καλοῦσι θώθ. Numerorum diſciplinam maximi videtur feciſſe Pythagoras, & in medium a mercatorum uſu abductam protuliſſe, rebus omnibus cum numeris com-*

comparatis. Aegyptii vero Mercurii, quem Thoth vocant, hoc inventum ſtatuunt. Ubi merito miramur, virum cetera accuratiſſimum JO. SCHEFFERVM *l. c. p.* 22. hæc poſteriora de arithmetica philoſophica intelligere, cum, niſi me omnia fallant, ſatis clare dicant, mercatorum, id eſt, vulgaris arithmeticæ inventorem fuiſſe Mercurium, Pythagoram vero eam demum ad rerum naturam explicandam transſtuliſſe. Hinc nulla fuit neceſſitas viro laudato, in citato Apuleji loco pro *vices* numerorum, *vires*, invitis mſc. & re ipſa, legendi; nam quemadmodum numeris vires nullæ ſunt, ita alia mens non erat Apulejo, niſi hæc, varias computandi rationes & proportiones, id eſt viciſſitudines, ut ita dicam, didiciſſe ab Aegyptiis Pythagoram, de numeris philoſophicis certe nihil apud Madaurenſem, ſed de mathematicis, quibus geometriæ præcepta junguntur? quemadmodum nec tota iſta diſtinctio inter arithmeticam vulgarem & philoſophicam ad Phœnices & Aegyptios quadrat. Quæ cum ita ſint, ex Phœnicum & ægyptiorum philoſophia, ejusque hiſtoria, quæ quidem in ſe quoque obſcuriſſima eſt, nihil nobis enaſcitur auxilii unde rem obſcuram intelligamus felicius, quin potius,

potius, cum Pythagoras auctor numerorum, non vulgarium, sed philosophicorum recte habeatur, quæ sententia veteribus quoque quibusdam placuit, apud MEVRSIVM *de denar. Pythag. c. I. p. 6.* ex ipso Pythagora ejusque sectatoribus harum rerum haurienda est cognitio.

§. IV.

Sed progressum ad Pythagoram ipsum, quique eum sectati sunt, facturis, non minus impeditum iter se offert, nec minores difficultates, incertitudo & obscuritas haud facile dispellenda; adeo ut ad omnia accurate attendenti rerumque momenta pensitanti idem pronunciandum sit, quod de Platonis incertitudine & obscuritate in *Histor. de ideis sect. I. §. 3. p. 19.* asseruimus & probavimus, *vix certi perspicuique quid afferri posse, cunctaque ad conjecturas redire.* Cujus causæ variæ sunt, illis, quas de Platone attulimus, fere similes, immo, si rem recte æstimes, plures majorisque momenti. Inter potiores vero ea referenda est, quod non tantum ipse Pythagoras nihil nobis scriptum reliquit, sed & potiorum Pythagoreorum scripta temporis injuria, imo aliarum quoque sectarum invidia interciderint.

Quod

Quod ad illud attinet, videmus quidem, multum ſuper hac quæſtione ambigere viros doctiſſimos tum veteres tum recentiores, an Pythagoras ipſe aliquid ſcripſerit, ſcriptumve reliquerit? Inter veteres in affirmantem ſententiam propendent inprimis LAERTIVS *l. VIII. ſ.* 6. qui ſatis confidenter: ἔνιοι Πυθαγόραν μηδὲ ἓν καταλιπεῖν σύγγραμμα φασὶ, διαπαίζουσι, *quidem Pythagoram nihil ſcripſiſſe tradunt, ſed nugantur*, mox vero ad Heracliti phyſici verba provocat, eumque tria volumina ſcripſiſſe ait, *de inſtitutione, de civilitate, de natura.* PLINIVS quoque *in hiſtoria naturali* paſſim ad Pythagoræ libros provocat, vid. *l. IX. c.* 9. *l. XXV. c.* 3. ubi expreſſe dicit, *Pythagoram primum volumen de herbarum effectu compoſuiſſe*, hinc videas apud Laërtium, Suidam & alios Pythagoræ ſcripta enarrari, vid. omn. STANLEIVS *Hiſt. philoſ. P. VIII. c.* 22. *p.* 698. *ſeq.* adde PROCLVM *l. III. in Tim. Plat.* HIERONYMVS vero in *apolog. adv. Rufinum* ſatis dubitanter loquitur. Inter recentiores præter ALDOBRANDIN. *ad l. c. Laert.* JO. SHEFFERVS quoque *de nat. & conſtit. philoſ. Ital. c. XIII. pag.* 131. huic ſententiæ adhæret, verbis JAMBLICHI *de vit. Pyth. c.* 19.

n. 90. *pag.* 75. ductus, ubi de Abaride: Τὸ περὶ φύσεως σύγγραμμα καὶ ἄλλο τὸ περὶ θεῶν αὐτὸν ἀνεδίδαξεν, *edocuit eum ſcriptum ſuum, de natura, itemque aliud de Diis*, præeunte Clar. JCto CONR. RITTERSH. *ad h. l. p.* 85. edit. Batav. qui potiora hujus ſententiæ argumenta erudite explicat. Sed contraria quoque ſententia non minores nacta patronos eſt. Inter quos PLVTARCHVS *de fortit. Alex. p.* 329. luculenter: Καίτοιγε Πυθαγόρας ἔγραψεν οὐδὲν, οὐδὲ Σωκράτης, οὐδὲ Ἀρκεσίλαος, οὐδὲ Καρνεάδης, οἱ δοκιμώτατοι τῶν φιλοσόφων. *Pythagoras nihil quicquam ſcripſit, neque Socrates, neque Arceſilaus, neque Carneades, philoſophorum ſpectatiſſimi.* Sic JOSEPHVS quoque *l. II. contra Appion.* ſuo jam tempore *nullum ejus ſcriptum firmiter receptum eſſe* notat, αὐτοῦ μὲν οὐδὲν ὁμολογεῖται σύγγραμμα. His addimus LVCIANVM, qui *de lapſu in ſalutatione T. I. pag.* 497. οἱ μέντοι θεσπέσιος Πυθαγόρας εἰ καὶ μηδὲν αὐτὸς ἡμῖν ἴδιον καταλιπεῖν τῶν αὐτοῦ ἠξίωσεν, *quanquam divinus ille Pythagoras ipſe nihil proprium ſuorum nobis relinquere voluerit.* Pariter PORPHYR. *de vita Pyth. p. m.* 40. *ed. Bat. n.* 57. *p.* 52. οὐδὲ γὰρ τοῦ Πυθαγόρου σύγγραμμα ἦν, *nullum enim Pythagoræ ſcrpitum extabat.* His add. ARISTID. *Orat. II. pro Rhet. T. III. p.* 495.

p. 495. AVGVSTIN. *Con. Ev. l. I. cap.* 7. CLAVD. MAMERT. *l. II. de ſtatu animæ c.* 3. aliosque paſſim nominatos, quorum verba, ne plus juſto longiores ſimus, conſulto prætermittimus. Ex recentioribus vid. BESSARIO *Cardin. contra calumn. Plat. l. I. c.* 2. JVST. LIPSIVS. *Introd. in philoſoph. Stoic. l. I. diſſ.* 6. *pag. m.* 36. *ſeq.* SAM. TENNVL. *ad Jamblichi Introd. in Nicomach. Arithm. p.* 72. *ſeqq.* AEGID. MENAG. *ad Laert. l. VIII. ſ.* 6. *T. II. p.* 350. *ed.* Wetſten. TH. BVRNET. *archeol. philoſ. l. I. c.* 13. *p.* 423. & qui inprimis nominandus erat, accuratiſſimus harum rerum judex *P. BAELIVS. Dict. Crit. T. II. art. Menage p.* 2098. pluresque alii; conf. omnino Cel. FABRICIVS *Bibl. Gr. l. II. cap.* 12. Et profecto ſi in tanta rerum incertitudine ponderatis utriusque partis argumentis aliquid certi ſtatuendum eſt, Pythagoram nihil, præſertim quod ad philoſophiam pertinet, ſcripſiſſe, vero videtur longe ſimilius. Ut enim taceamus conſenſum veterum longe altera parte majorem, ut taceamus, nomen Pythagoræ pluribus cõmune, ut videre eſt apud LAERT. *l. VIII. ſ.* 46. & JONSIVM *de Script. hiſtor. philoſ. l. IV. p.* 341. *ſeqq.* errori anſam dare potuiſſe, quemadmodum philoſophum

noſtrum cum alio Pythagora corporum exercitatore qui noſtro coævo, ejusque ſcriptis confundit Porphyrius; ipſa docendi methodus, de qua mox plura, non permiſit Pythagoræ doctrinam ſuam ſcriptis conſignare, ſicque in vulgus eam diſpergendi dare occaſionem. In id enim omnem contulit operam, ut quam maximè occultarentur ſua, unde quicquid etiam extra philoſophiæ cancellos ſcriptum vel notatum habuiſſe quibusdam dicitur, Damoni filiæ moriens commendaſſe fertur, monuiſſeque, ut ſecretum cuſtodiret, quæ etiam parentis juſſis mordicitus inhæſerit. conf. JAMBL. *c.* 28. *n.* 146. *p.* 122. Magis itaque arridet, & veritati longe conformior eſt PORPHYRII relatio, *l. c.* Dicæarcho & accuratioribus, ut ipſe monet, auctoribus nixa, *Pythagora præ mœrore propria manu e vivis ſublato, exuſtisque igne diſcipulis unum alterumve, & in his Lyſidem & Archippum evaſiſſe, qui deficientem cum combuſtis, quam hucusque in pectoribus arcanam reconditamque cuſtodierint, præter quædam intellectu difficilia, quæ exterioris admiſſionis auditores memoria repetebant, ſcientiam, exiguos ſcilicet philoſophiæ igniculos, obſcuros eos admodum & perveſtigatu difficiles conſervarint,*

rint, verentesque ne philoſophiæ nomen inter homines interiret penitus, commentaria quædam ſummatim compoſuerint, & antiquorum ſcriptis & eorum, quorum ipſi meminerant, in unum redactis. Quæ certe cum tota Italicæ philoſophiæ indole egregie conſpirant, & facilem ad argumenta contraria ſuppeditant reſponſionem. Nam non ex hoc ſolum Porphyrii loco paulo obſcurius, ſed & ex JAMBLICHO *de vit. Pyth. l. I. c. 29. num.* 158. *pag.* 133. aperte patet, Pythagoræ diſcipulos, ſua ex magiſtri mente conſcripta, vel quæ ex ejus ore auditu exceperant, more toti Orienti & plerisque philoſophorum vetuſtiſſimorum diſcipulis recepto, Pythagoræ inſcripſiſſe, ob eamque cauſam non ſuum, ſed magiſtri nomen commentariis ſuis præfixiſſe; τὰ δὲ ἀπὸ τῆς ἀκροάσεως αὐτοῦ συγγεγράφεσθαι, καὶ διὰ τοῦτο οὐδὲ ἑαυτὸν ἐπεφήμιζον αὐτὰ, ἀλλὰ εἰς Πυθαγόραν ἀνέφερον αὐτὰ, ὡς ἐκείνου ὄντα. *Quæ ex ore ipſius audita exceperunt, & in literas retulerunt, ea ne pro ſuis quidem venditarunt, ſed retulerunt ad Pythagoram, tanquam quæ ipſius eſſent.* Manifeſta itaque cauſa & occaſio, qua decepti veterum quidam & poſt eos recentiores Pythagoræ libros aſſignaverunt, conf. SCHEFFER. *l. c. p.* 132. *ſeqq.*

qui plura commodabit. Loco vero Jamblichi a Scheffero in contrariam partem adducto, & ſupra nobis obſervato alium opponimus ipſius JAMBLICHI *l. I. cap.* 31. *n.* 200. *p.* 165. ab ipſo quoque Viro eruditiſſimo *l. c. p.* 133. citatum : ἐν τοσαύταις γενεαῖς ἐτῶν οὐδαὶς οὐδενὶ φαίνεται τῶν Πυθαγορείων ὑπομνημάτων περιττευχέως πρὸς τοῦ φιλολάου ἡλικίας. *Inter tam multa annorum curricula & ætates nihil unquam Pythagoricorum hypomnematum confectum elaboratumque apparet, ante Philolai tempora.* Ille enim Philolaus primus fuit, qui tres libros Pythagoræ nomine inſignitos vendidit Dioni centum minis, a quo poſtea venerunt ad Platonem, ut ipſe quoque Jamblichus refert. Nec difficulter quoque uterque Chalcidienſis philoſophi locus conciliari poteſt. Ille enim ad quem Schefferus provocavit, locus non hunc ſenſum habet, Pythagoram libros de iis & de natura prius conſcripſiſſe, deinde vero docuiſſe Abaridem, ut a Laertio ſeductus putat Vir doctiſſimus; ſed Abaridem ea de natura atque diis a Pythagora doctum fuiſſe & ex ejus ore percepiſſe, quæ poſtea, more Pythagoreo, in libros retulit, ſcriptaque reliquit. Qui quidem ὡς ἐν βραχυτάτοις, *compendiaria via*, vel ut *infra*

n. 93.

n. 93. ait, φυσιολογίαν καὶ θεολογίαν ἐπιτετμημένην, *physicam & theologiam in compendium redactam* a Pythagora didicit, quod vero non de libri quodam, ſed methodi compendio intelligendum, innuit enim, omnes diſciplinæ ſuæ ambages ritus & initiationes omiſiſſe Pythagoram, cum Abaridem, diu jam ſacrorum arcanis innutritum erudiret. Ceterum non negamus, Jamblicho certum fuiſſe viſum, Pythagoræ quosdam fuiſſe libros: ait enim *cap.* 29. *n.* 158. *p.* 133. ὁμολογεῖται τὰ μὲν Πυθαγόρου εἶναι τῶν συγγραμμάτων ἃ νῦν φερομένων, *in confeſſo eſſe, quædam inter ea ſcripta, quæ circumferuntur, Pythagoræ eſſe*, miramur tamen, Jamblichum, quem cauſa erroris non latuit, ut modo diximus traditioni tot modis ſibi contradicenti dare potuiſſe fidem. Nulli igitur dubitamus cum LIPSIO *l. c.* aſſerere: *germanum Pythagoræ ſcriptum nullum fuiſſe, ſed a diſcipulis ſub magno illo nomine quædam divulgata*, quidquid *etiam librorum illi pertinax fama antiquitasve vindicant*, ut PLINIUS vult, *Hiſt. nat. l. XXIV. c.* 17. nam non ſolum Pythagoram medicum, de quo LAERT. *l. VIII. ſ.* 46. cum philoſopho confudiſſe videtur, ſed & mox ipſe ſubjicit egregie: *id ipſum auctoritatem voluminibus af-*

fert, ſi quis alius curæ ſuæ opus illo viro dignum judicavit.

§. V.

Quemadmodum vero ab ipſo Pythagora in cognoſcenda ejus de naturæ myſteriis ſententia nulla peti poſſunt auxilia, ita diſcipulorum quoque & ſectatorum par fere ratio eſt, paucaque inde ſubſidia nobis enaſcentur. Nam magiſtri more educati ſapientiæ ſuæ myſteria quam maxime occultabant, adeoque a libris conſcribendis, quantum licebat, abſtinebant, & in diſcipulorum numerum receptis ex memoria erudiebant. Id quod PLVTARCHI conſtat teſtimonio, in *Numa* dicentis: ὡς λογισμῷ φασὶ μηδὲ τοὺς Πυθαγορικοὺς εἰς γραφὴν διατίθεσθαι τὰ συντάγματα, μνήμην δὲ καὶ παίδευσιν αὐτῶν ἄγραφον ἐμποιεῖν τοῖς ἀξίοις, *eadem ductos ratione nec Pythagoreos memorant præcepta ſua ſcripto mandare, ſed memoriam & diſciplinam eorum inſtillare vivam.* conf. JAMBLICH. *l. I. c.* 29. unde PORPHYRIO quoque *l. c. p. m.* 40. eorum ſapientia audit ἄῤῥητος ἐν τοῖς στήθεσιν φυλαθχεῖσα, *in pectoribus arcano & recondite cuſtodita.* conf. SCHEFFERVS *l. c. c.* 13. *pag.* 130. Quod ſi vero accideret, quod aliquando accidiſſe negari non poteſt, ut literis conſignarent

ſignarent magiſtri præcepta, dici non poteſt, quanta diligentia occultaverint præcepta ſua, & cum ſuis tantum ſub ſacramenti religione communicari permiſerint. Quod expreſſe PORPHYRIUS *l. c.* narrat, Lyſidem & Archippum ejusmodi libellos a ſe conſcriptos ἐπισκήψαι υἱοῖς ἢ θυγατράσιν ἢ γυναιξὶ μηδενὶ θοῦναι τῶν ἐκτὸς τῆς οἰκίας, αἱ δὲ μέχρι πολλοῦ χρόνου τοῦτο διετήρησαν, ἐκ διαδοχῆς τὴν αὐτὴν ἐντολὴν διαγγέλλουσαι, *præcepiſſe filiis ac filiabus aut uxoribus, ne cuiquam extra familiam eorum copiam facerent, idque continua quadam ſucceſſione privatim poſteris denunciantes permulto tempore obſervarunt.* Confer locum quem ex CLEM. ALEXANDR. *l. V. Strom.* hic omnino notandum attulimus in *Hiſt. de ideis Sect. I. §. 3. p. 23. ſq.* & quæ JAMBLICH. *de vita Pyth. c. 31. n. 193. ſeqq. p. 160. ſeqq.* de ſilentio eorum, ne mortis quidem & tormentorum metu fracto refert. Pauci itaque immo pauciſſimi libri Pythagoreorum in peregrinas manus venerunt, donec ad Platonem libri Dioni a Philolao venditi pervenirent, vid. A. GELLIVS *Noct. Attic. l. III. c. 17.* LAERT. *l. VIII. ſ. 85.* JAMBLICH. *de vita Pyth. c. 31.* ex quibus TZETZES verſiculos idem teſtantes contexuit, *Chiliad. X.*

Hiſtor. 355. quos repetit MENAGIVS *ad Laert. l. c. p. m.* 389. edit. Wetſt. quique appoſite ad hunc Pythagoreorum morem:

Ὅρκια γὰρ ἦ δίδυσθαι ταῦτα Πυθαγορείοις,
Ἑτέροις μὴ πωλεῖσθαι δὲ Πυθαγορείων βίβλους.

Jusjurandum enim interceſſerat datum iri
libros illos Pythagoreis,
Ceteris autem nunquam vendendos.

Et ex his libris non Timæum tantum his auctoribus exſcripſiſſe Plato dicitur, ſed ſine dubio ea quoque cum illis junxit, quæ ipſe cum Italiam inviſeret, ex ore Pythagoreorum didicerat. Inde vero nova exſurgit incertitudinis ratio. In manus enim non initiatorum devoluti libelli cum non intelligerentur, partim corrupti ſunt, partim depravati in odium ſcholæ Italicæ, melioribus obſervationibus inde ſurreptis; cujus non Platonem ſolum ſed & Ariſtotelem, Speuſippum, Ariſtoxenum & Xenocratem accuſant Pythagorei, quorum hac de re querelas ex Porphyrio ſupra §. I. retulimus. Quanta vero hæc ſecta invidia flagraverit, ut multa ſpecimina docent, ita infelicia Crotoni Tarenti & Metaponti perpeſ-

perpeſſa fata, Porphyrio, Jamblicho aliisque narrata ſatis loquuntur; conf. SCHEFFERVS *l. c. c. XV. p.* 175. Et hanc quoque cauſam eſſe putamus, cur tam pauca, Pythagoreorum ſcripta habeamus reliqua, ceteris ab ipſis ſcilicet pariter & ab adverſariis ſuppreſſis. Philolaum enim, Archytam Tarentinum, Eudoxum & Empedoclem philoſophiam Pythagoræ deſcriptam reliquiſſe refert Laërtius & poſt eum alii, vid. Cel. FABRICIVS *l. c.* TH. BVRNET. *Archæol. philoſ. c. XI. p.* 430. *ſeqq.* ut Ariſtoxenum, Heraclidem, Neanthem, Hermippum aliosque plurimos taceamus. Hi vero omnes deſiderantur. Quæ vero poſterioris temporis homines Jamblichus, Porphyrius, Proclus & his ſimiles nobis reliquere, ab iſta ætate nimis ſunt remota, *& in non paucis minime aſſequuntur veterum Pythagoricorum grævitatem ſapientiamque*, judice SCHEFFERO *l. c. p.* 101. quemadmodum juſtiſſime in Porphyrio propenſionem ad ineptas allegorias, & εὐρεσιολογίας moroſas taxat MERIC. CAVSAVBON. *ad Laërt. VIII.* 34. *p. m.* 515. quod vel ſolum, quem *de antro Nympharum apud Homerum*, ſcripſit, libellum perlegenti, ſatis erit perſpectum; quicquid alias ab EVNAPIO *in vit. philoſ.*

p. m.

p. m. 14. *seqq.* & post eum ab aliis elogiorum ab HOLTENIO *diss. de Vita & Script. Porphyrii. c. I. pag.* 10. *sqq.* collectorum in eum congestum est. Et hæc tamen præcipua sunt, si pauca veterum fragmenta hinc inde occurrentia excipias, quibus innitendum sit. Unde quam tenuis & incerta sit Pythagoreæ Philosophiæ historia, cæcus sit oportet, qui non videat.

§. VI.

Sed fingamus, genuinos primorum Pythagoreorum libros nobis supersesse, cum toto tamen Italicæ philosophiæ habitu ita comparatum est, ut nihil certi inde nobis polliceri queamus. Nam Pythagoram ejusque scholam ex more philosophorum orientalium, imprimis Aepyptiorum sua admodum celasse & sacro silentii sipario involvisse, adeoque quæ proponebantur, obscurissime tradidisse, quis antiquitatis tam ignarus est, ut id nesciat? Quare prolixa probatione merito supersedemus, præsertim cum diligentissimus SCHEFFERVS, libro sæpius laudato variis locis, v. g. *c. X. p.* 52. *seqq. c. XIII. p.* 125. *seqq.* nobis otium fecerit, ubi ea cumulata habes, quæ ad hujus rei probationem dici poterant. Videas

deas itaque obſcuriſſimis Symbolis & ænigmatibus omnia involuta, & tam tecte tradita, ut Oedipo ad ea intelligenda & interpretanda ſit opus: quæ cum loco fabularum a Poëtis adhibitarum uſurpaverit Pythagoras & aſſeclæ, qui τὰ ἀπόῤῥητα καλύπτονες ἀσαφείᾳ καθάπερ οἱ Ποιηταὶ τοῖς μύθοις, *arcana ſua quæque effari nefas eſt, obſcuritatis latebris, ſic, ut, poëtæ fabulis, involverunt*, ut ait EVNAPIVS in *vita Porphyrii, vit. Sophiſt. p. m.* 14. *Ed. Commelin.* expeditiora & faciliora certe intricatiſſimis fabularum labyrinthis non ſunt, quod vel eo argumento manifeſte conſtat, quod tot tamque diverſas tota Pythagorica philoſophia, imprimis vero Symbola, paſſa ſint interpretationes, paſſim videndas, junctim vero apud STANLEIUM *Hr. Phl. P. VIII. c.* 2. *ſqq. p.* 282. *ſeqq.* & JO. GEORG. PASCHIVM *de variis modis tradendi moralia c. IV. §.* 18. *p.* 408. *ſeqq.* quosque fuſe affert Cel. FABRICIVS *Bibl. Gr. l. II. p.* 457. *ſeqq.* quas merito cum diverſiſſimis inter ſe Poeticarum fabularum expoſitionibus obſcuritate cum Pythagoræ numeris Symbolisque certantium compares, vid. S. R. BVDDEVS, *philoſophus fabularum amator Anal. Hiſtor. Philoſ. diſſ. II. p.* 45. *ſeqq.* & TOVRNEMINE

Memoires

Memoires pour l'hiſtoire de ſciences T. VI. p. 83. *ſeqq.* Et profecto ut ad numerorum doctrinam dicta transferamus, quis niſi ænigmata & griphos putet, quando *Monas* vocatur Proteus, Mnemoſyne, Veſta; *Dyas*, Diana, Phanes Erato, pedes fontibus abundantis Idæ; *Trias* Saturnia Latone, Cornucopiæ, Ophion, Thetis, Hecate, Charitia, Polymnia, Pluto, Damatramne, Dioſcuria, Curetis, Crateis, Triſamus, *Tetras*, Mercurius, Hercules, Vulcanus, Bacchus, Sorita Eriunius, Socus, Dioſcurus, Baſſareus; *Pentas*, Turris Jovis, Bubaſtia Venus, Gamelia, Androgynia, Cytherea, Zonæa, Præſes circulorum, & ſic reliqui ſimiliter numeri, quæ portenta verborum, ut merito dicere fas eſt, apud *Scriptorem Theologumen. arithmet. Nicomachum* aliosque occurrunt, diligenter congeſta a JO. MEVRSIO in *Denar. Pyth.* ex quibus claram haurire notitiam, aquam eſt haurire cribro. Et cum ſacro ſilentio omnia condere ſacramento ſe obſtrinxerint, ut ſupra notavimus, omnia ſcilicet ad ſacrorum & myſteriorum rationem & modum adaptantes, ut opportune monet SCHEFFERVS *l. c. c. XI. p.* 86. inde & initationis gradus conſtituentes, ut in ſacris barbarorum

rorum & Græcorum, quatuor, καθαρμὸν, τῆς τελετῆς παράδοσιν ἐποπτείαν, ἀνάθεσιν καὶ στεμμάτων ἐπίθεσιν, vid. ISM. BVLIALD. *ad Theon. p.* 215. *ſeqq.* quid quæſo clari & aperti expectabimus a viris, religione, ne arcana prodant, impeditis. Hæc ſcilicet illa σύνθετος καὶ θεῖα φιλοσοφία καὶ θεραπεῖα, *compoſita illa rerum philoſophia & miniſterium* eſt, quam partim ab Orphicis partim a ſacerdotibus Aegyptiis, partim a Chaldeis & Magis, nonnulla ex initiis, quæ fiunt Eleuſine in Imbro, in Samothracia, in Delo, imo apud Celtas & Iberos collegiſſe & compoſuiſſe dicitur Pythagoras, apud JAMBLICH. *de Vit. Pyth. c.* 28. *n.* 151. *p.* 127. *ſqq.* Hinc fidendum non eſt iſtis ex Pythagoræ ſequacibus, qui non exoterice tantum, ſed & acraomatice ſe magiſtri dogmata explicituros promittunt. Notat enim ipſe JAMBLICHVS *in protrept. c.* 21. τὸν μὲν ἴδιον ὄντα τρόπον τῆς αἱρέσεως καὶ ἀπόῤῥητον πρὸς τὰς ἄλλας ἀγωγάς· τὸν δὲ δημώδη καὶ κοινὸν πρὸς ἐκείνας, τρίτον δὲ παρ' ἀμφότερα μέσον ἀμιροῖν, οὔτε παντάπασι δημόδη, οὔτε μὲν ἄντικρυς Πύθαγορικὸν ἀλλ' οὐδὲ ἀπιλλάγμενον ὁλοσχερῶς ἑκατέρου. *Modum* (interpretationis) *unum exiſtere, proprium ſectæ Pythagoricæ atque arcanum, nec aliis vulgandum: alius vero popularem, & qui*

& qui tradi omnibus communiter queat, tertium denique medium inter utrumque, non plane popularem, nec palam Pythagoricum, ſed nec penitus ab utroque remotum. Ex quo loco id manifeſtum, eos, etiam cum arcanorum darent explicationem, non intrinſecam iſtam, quam vocabant, ſapientiam, ſed mediam quandam tradidiſſe, ſatisfacturi ſcilicet hominum, inprimis potentium curioſitati, ſine religionis violatione, diverſumque ab eſoterico explicandi genere acroamaticum confingentes.

§. VII.

Ceterum inter cauſas obſcuritatis hæc quoque refertur, quod Pythagoras cum ſectatoribus plerisque dialecto uſus ſit Dorica obſcuriore reliquis. Ita enim expreſſis PORPHYRIVS *de vita Pythag. p.* 36. *n.* 53. *p.* 49. ed. Bat. philoſophiam Pythagoream fere extinctam fuiſſe πρῶτον μὲν διὰ τὸ αἴνιγμα τῶδες· ἔπειτα διὰ τὸ καὶ τὰ γεγραμμένα Δωρίδι γεγράφθαι ἐχούσης τι καὶ ἀσαφὲς τῆς διαλέκτου· καὶ μηδὲν διὰ τοῦτο ὑπονοεῖσθαι, καὶ τὰ ὑπ' αὐτῆς, ἀνιστορούμενα δόγματα, ὡς νοθά καὶ παρηκουσμένα, *primum quidem, quod aenigmatibus involuta eſſet, deinde quod commentaria ipſorum Dorice eſſent conſcripta: cum & ipſa dialectus*

dialectus neſcio quid obſcuritatis habeat, atque hanc ob cauſam nec dogmata ea dialecto conſignata intelligi poſſint, tanquam ſpuria & male intellecta. Conſtat ſcilicet, Pythagoram & Pythagoreos dialectum Doricam omnium optimam cenſuiſſe, nec diſſentiunt eruditi, quia omnes fere doctores ſectæ Italicæ hoc ſermonis genere uſi ſunt, Timæus Locrus, Archytas Tarentinus, & reliqui præter unum Ocellum Lucanum, ut Timæus in Ocellum ab initio teſtis eſt. De cauſa vero, cur lingua Dorica uſi ſint, diverſa inter veteres eſt opinio. Secundum JAMBLICHUM *c.* 34. *n.* 241. *ſqq. p.* 194. *ſqq.* enim Doricæ tanquam reliquarum antiquiſſimæ uſus fuit Pythagoreis, ſecundum Metrodorum vero Dorica ipſis dialectus numeroſiſſima & compoſita ex claris vocalibusque literis eſt. Nobis autem proxime vero ſentire videtur Porphyrius, ideo Doricum dicendi genus obſcuriſſimis arriſiſſe philoſophis, quia eſt obſcurius & difficilius intellectu. Ita enim apud veteres de eo ſtatutum eſt, unde zeno quidam ſermocinans exquiſitius a Tiberio rogatus, quænam moleſtiſſima Dialectus eſſet, Doridem reſpondit, apud SVETON. in *Tiber.* *c.* 56. Quanquam & hoc non negamus,

ideo Doricam Dialectum placuiſſe Pythagoræ & ſequacibus quod gentis, in qua verſabatur Pythagoras, illa dialectus eſſet, cum ſuos diſcipulos hortati ſint Pythagorei, teſte JAMBLICHO *l. c.* ut lingua quisque vernacula uteretur, quicunque ex Græciæ partibus ad eos acceſſiſſent. Erant enim Crotona & Sybaris Achæorum coloniæ, Corinthiorum Syracuſæ, quarum utraque fuit origine Dorica, conf. C. RITTERSHUS. *ad l. c. Porphyr. p.* 78. ed. Bat. Quicquid tamen illud eſt, non tam in verborum ſtructura, quam in rebus ipſis earumque inepta explicatione obſcuritatis cauſam recte quæſiveris. Quicquid enim de numeris traditur, ad nihil minus, quam ad rerum naturalium principia explicanda aptum eſt, id quod ARISTOTELES jam agnovit, cujus verba *Metaphyſ. l. XIII. c.* 4. numerorum naturam ideis ſive principiis rerum non reſpondere, attulimus in *Hiſt. de ideis Sect. I. §. 2. p.* 10. Hinc non inviti in ſententiam TH. BVRNETI, *Archæolog. philoſ. cap. XI. p.* 428. *ſeq.* pedibus imus, qui egregie de hoc philoſophandi genere: *Caret tam fundamento quam ordine hic modus philoſophandi: numeri enim ſequuntur res rerumque diviſionem, neque, ſi antecederent, aut corporibus*

ribus molem, aut animabus & mentibus cogitationem conferre poterant, cum utrisque destituantur. • Manifestum eos numeros præter numeros nihil posse generare, nullam habent ultra vim aut efficaciam. Possunt quidem repræsentare suo modo rerum gradus & genera, sed efficere non possunt, nec vices materiæ explere in rerum effectione; conf. qui Burnetum κατὰ πόδα sequitur JO. GEORG. PASCH. *de var. mod. trad. mor. c. IV. §. 19. p. 410. sqq.* Non negamus quidem, Pythagoram per numeros intellexisse rerum causas, maxime exemplares, licet suo more obscurissime de iis sit locutus: sed & hoc negare neminem posse, qui rebus his judicium interponere novit, certi sumus, *ingenium Pythagoricum & Platonicum hoc vitio laborasse, quod res Physicas in rationes mathematicas numeros & proportiones, resolverint, ut Aristoteles in Logicas,* addo & Methphysicas, quæ verba sunt BVRNETI *l. c. p.* 429. Undeque novis obscuritatis tenebris se involverint.

§. VIII.

Tot tantæque igitur incertitudinis & obscuritatis Historiæ philosophiæ Pythagoreæ cum sint causæ & argumenta, mirum videri debet nemini, quod in explicatione

numerorum Pythagoricorum vel ad portenta ſententiarum hypotheſiumque, vel ad leves & inanes nugas & ingenii incerti tricas delapſi ſint, qui his rebus indagandis operam poſuerunt. Neſcio enim quæ myſteria in numerorum doctrina quærentes, iis, qui antiquitatis præjudicium virili auſu depoſuerunt, egregie deſipuiſſe rectiſſime viſi ſunt. Id quod ſi non de THEODATO OSIO dicendum, qui conſcripſit: *meditationes rythmicas in duas partes diſtinctas, quarum una theoricam altera practicam facultatis ſcientiam per numeros, ſive reſtitutam Pythagoreorum doctrinam pollicetur*, referente HIERON. GHILINI *theatr. degli Guom. letter. p.* 219. quia incertum, num liber unquam lucem viderit; præter ATHAN. KIRCHERUM qui in *Arithmologia de occultis numerorum myſteriis Romæ* 1654. 4. edita, ineptit, PETRO certe BVNGO in libro rarius obvio *de myſteriis numerorum accidit*, in quo merito judicium deſideres, non negante MORHOFIO *Polyhiſt. lit. l. I. c.* 2. *ſ.* 4. *p.* 15. quique exemplo eſſe poteſt, ad quas nugas & ſcutentiarum portenta otioſa hominum ingenia divertere ſoleant. Hæc cum ita ſe habeant, lubentes fatemur, in hiſtoria doctrinæ Pythagoricæ

ricæ de numeris certi prorſus afferri poſſe nihil, ommemque, quæ poteſt adhiberi, induſtriam ad conjecturas redire, idque pro Pythagoræ ſententia habendum eſſe, quod maxime reddi poſſit, ſi modo poſſit, probabile, ut de Platone quoque alibi pronunciavimus, & hic majori jure pronunciari poſſe exiſtimamus.

§. IX.

Quod ſi tamen aliquid de hac re dicendum, iis quæ Pythagorica de numeris nobis adhuc ex veteribus ſuperſunt, ſaltem pro iſtis venditantur (hoc enim Catone nos contentos eſſe oportet) in incertiſſimo ſententiarum itinere ducibus electis, comparatione quoque inter Pythagoricam de numeris & Platonicam de ideis doctrinam inſtituta, illa nobis probabilitate, in explicando obſcuriſſimo argumento maxime ſe commendat ſententia quæ ſtatuit Pythagoræ numerum idem fuiſſe, quod Platoni ideam, huncque & in iſto quoque dogmate illius vitulo araviſſe admodum. Scilicet utriusque viri ingenium ad enthuſiasmum philoſophicum natura & educatione, immo inſtitutione quoque & diſciplina proclive, in eo admodum elaboraſſe, ut in rerum

ſpiritualium ortum & emanationem a primo ente progreſſumque per varios ordines, rerum item ſenſibilium formas & ſubſtantiarum fontes varie inter ſe connexos inquireret, & characteres rerum eſſentiis proprios aliquo modo exponeret. In eo enim potiſſimum maxima vetuſtatis ingenia ſe exercuerunt, ut rerum omnium origines perveſtigarent, quæ cum ex nihilo nihil fieri tenerent firmiſſime, & corporearum rerum naturam deprehenderent fluxam & quibusvis momentis mutabilem, neceſſario ad emanationem entium ſpiritualium ex ente ſummo tandem delapſa ſunt, variisque ſomniis deluſi palpaverunt: luculento ſpecimine, quanta caligine obſcurentur humanæ mentes, ubi a divinæ revelationis, quæ iſtos nodos apertiſſime ſolvit, lumine primo ſeceſſum fecerunt. Sed hæc ὡς ἐπὶ παροδῳ. Conferemus itaque utriusque ſententiam, & miram deprehendemus conformitatem, licet, quod ingenue fatemur, omnem numerorum doctrinam, ut ab iſtis hominibus traditur, nec intelligamus ſatis, nec intelligi quoque ſatis poſſe credamus firmiſſime.

§. X.

Verum ut in rem præſentem tandem veniamus, audiamus cauſas & argumenta, cur Platonis ideas originem ſuo modo traxiſſe ex Pythagoræ numeris, & hunc philoſophum pari ferme modo intelligendum eſſe, ut Platonem de ideis differentem, probabili rationum ſerie ducti credamus. Vbi ad ipſa utriusque philoſophi fundamenta & totius philoſophiæ Pythagoricæ & Platonicæ ſyſtema & ὑπόστασιν provocare ante omnia licet. Quod ſi enim ea, quæ Pythagoras de rerum principiis docuit, & pro Pythagoreis a veteribus nobis tradita ſunt, cum Platonis philoſophia conferamus, nullo negotio apparebit, Pythagoram æque ac Platonem ad res abſtractas & intellectuales proniores, telluris immo totius ſyſtematis mundani phyſiologiam mundique, præſertim ſublunaris, ortum & antiquorum κοσμογονίαν in ψυχογονίαν quandam convertiſſe. Cujus elegantem rationem affert TH. BVRNETVS *Archæolog. philoſoph. cap. XI. pag.* 424. hic non ſine fructu audiendus. *Illi*, inquit, *mundi ortum deſcripturi ſeſe occupant maxime in explicanda compoſitione animæ mundanæ, id quod faciunt per rationes quasdam harmonicas, ex individua forma & dividua*

dividua, eodem & altero, ita enim loqui amant. Et quoad compagem mundi, corporea ex quibusdam congruentiis corporum Geometricorum terminos, ſedes, & intervalla elementorum diſponere & adaptare ſatagunt, & chaos quoddam, ſive materiam inordinatam ſupponunt, eique præficiunt mentem, ut in ordinem formamque mundanam rite adducatur. En breve at accuratum totius phyſiologiæ Pythagoricæ & Platonicæ compendium; ex quo recte ad veterum mentem intellecto, omnia philoſophiæ μετεωρολογούσης problemata & placita facile expediri poſſunt. Et de Platone quidem nullum eſt dubium, cum omnes paginæ ſcriptorum ejus id loquantur, nec otioſe repetemus ea quæ in *Hiſtoria de ideis §. IV. p. 35. ſeqq. & §. VI. pag. 87. ſeqq.* fuſe jam attulimus. De Pythagora vero idem recte dictum eſſe, non tantum ipſa, quibus uſus eſt, quæque in ſequentibus dilucidabimus, principia evincunt, ſed & veterum teſtimonia nos de hac re dubitare non ſinunt, teſtantia, Pythagoram cuncta ad Deum per materiæ partes diffuſum, id eſt, animam mundi ejusque varias modificationes retuliſſe. Ita enim LACTANT. *de falſa relig. l. I. c. 5. Pythagoras ita definivit: quid eſſet Deus? Animus*

Animus, qui per universas mundi partes omnemque naturam commeans atque diffusus, ex quo omnia, quæ nascuntur, animalia, vitam capiant. Hinc videas ejus discipulos de Deo ipsos inhabitante deque divinæ mentis animæque communione multa jactare & præcipere apud JAMBLICH. *de Vit. Pyth. c.* 34. *n.* 240. *p.* 193. quem locum illustrabunt ea, quæ *de myster. Aegypt. l. I.* passim præcipue *c.* 6. 7. p. 10. *sqq.* & TH. GALE *ad h. l. p.* 189. habent. Huic principio subnixa reliqua: Deum ex se produxisse aliquas substantias spirituales partim principiorum instar futuras reliquis, partim rebus secundum certam harmoniam ordinemque & classes rerum formam & substantiam largituras: quæ substantiæ ipsissimi Pythagoræ numeri sunt, cum ideis Platonis egregie convenientes. Quod ne gratis dixisse videamur, en luculentum PLUTARCHI de plac. philos. *l. I. c.* 3. testimonium: Πυθαγόρας ἀρχὰς τοὺς ἀριθμοὺς καὶ τὰς συμμετρίας τὰς ἐν τούτοις, ἃς καὶ ἁρμονίας καλεῖ τὰ δὲ ἐξ ἀμφοτέρων σύνθετα στοιχεῖα καλούμενά τε γεωμετρικά· πάλιν δὲ τὴν μονάδα, καὶ τὴν ἀόριστον δυάδα ἐν ταῖς ἀρχαῖς. *Pythagoras principia rerum numeros esse censuit, & eorum symmetrias, id est accomodatas proportiones,*

& harmonias, id eſt concentus coherentiasque vocat, ex iisque compoſita elementa, quæ geometrica vocantur. Porro & unitatem, & infinitum binarium inter principia ponit. Ex quo loco evidenter colligimus, ex iſtis numeris ſive principiis reliqua ſpiritualia traxiſſe originem. Ea vero cum diverſitatem acceperint, non miraberis de uno & diverſo, de luce & caligine eum cum aſſeclis fuiſſe philoſophatum. Vnum enim ens ſummum, diverſum ſubſtantiæ ſpirituales ab eo emanantes & originem trahentes, propria tamen ſubſiſtentia gaudentes, ut Platonis quoque ideæ, & hinc appellationem diverſi trahentes: illud monas, hæ numeri reliqui, illud lux, hæ quatenus non ſunt ex ſe, ſed aliena tantum luce fulgurant, caligo. Hæc indubitatis veterum nituntur teſtimoniis. Luculenter præ aliis PORPHYR. *de vita Pyth. p.* 33. *n.* 47. *p.* 45. ed. Bat. οἱ Πυθαγόρειοι μὴ ἰσχύοντες λόγῳ παραδοῦναι τὰ ἀσώματα εἴ δή, καὶ τὰς πρώτας ἀρχὰς, παρεγένοντο ἐπὶ τὴν τῶν ἀριθμῶν δήλωσιν, καὶ οὕτω τὸν μὲν τῆς ἑνότητος λόγον καὶ τὸν τῆς ταυτότητος, καὶ τῆς ἰσότητος καὶ τὸ αἴτιον τῆς συμπνοίας καὶ τῆς συμπαθείας καὶ τῆς σωτηρίας τῶν ὅλων τοῦ κατὰ ταὐτα καὶ ὁσαύτως ἔχοντος ἐπροσηγόρευσαν — — τὸν δὲ τῆς ἑτερότητος καὶ ἀνισο-

ἀνισότητος καὶ παντὸς τοῦ μεριστοῦ καὶ ἐν μεταβολῇ καὶ ἄλλο τε ἄλλως ἔχοντος δυοειδῆ λόγον καὶ δύαδα προσηγόρευσαν. *Pythagorei cum incorporeas formas ac prima principia verbis tradere non possent, ad demonstrationem per numeros confugerunt, atque ita unitatis quidem & identitatis atque æqualitatis rationem, causamque amicæ conspirationis atque mutuæ affectionis & conservationis universi secundum idem atque eodem modo se habentis unum appellabant — — diversitatis autem atque inæqualitatis omnisque dividui & in continua mutatione versantis & modo hoc modo illo modo se habentis biformem rationem binarium vocant.* In quibus verbis Porphyrii prius quidem rectissime & luculenter ad mentem Pythagoreorum dictum est, posterius non item, cum binarius numerus non fluxa rerum materia sed principium intellectuale, id est spirituale sit & numerus, qui istam mutationem non admittat, nisi mutationem intelligas relativam, quatenus sc. dyas ex monade fluit, generatur, & diversitatem existentiæ includit. Conf. AVCTOR *philosophum. Origen. c. II. p.* 39. qui δύο, inquit εἶναι ἀπ' ἀρχῆς τοῖς οὖσιν αἴτια, πατέρα καὶ μητέρα, καὶ πατέρα μὲν φῶς, μητέρα δὲ σκότος. *Duas rebus a primordio causas esse, patrem videli-*

videlicet & matrem, & patrem quidem lucem, matrem vero caliginem. Quæ verba aut repugnant Pythagoreæ ſententiæ (licet & ipſe Pythagoras duo coæterna principia ſtatuerit, quæ tamen huc, ubi de principiis intellectualibus & ſubordinatis ſermo eſt, non pertinent) quia Pythagoras patrem & matrem in una claſſe conſtituit, emanationis ex Deo ordinem & claſſes oſtenſurus, unde & Deum facit ἀνδρόγυνον; aut, ut modo monuimus, de principiis ſubordinatis ſunt intelligenda, quorum illud, quod emanavit, caligo dicitur, quia non ſua ſed aliena luce, ut luna, radiat. Quam Pythagoreis mentem eſſe perſuadent ea, quæ in oraculis dicuntur, ubi mox in initio:

Ὅπου πατρικὴ μονάς ἐστι
Ταναὴ ἐστι μονὰς ἡ δύο γεννᾷ,
Δύας γὰρ παρὰ τῷ δὲ κάθηται καὶ νοεραῖς
ἀστράπτει τομαῖς,
Καὶ κυβερνᾷν τὰ πάντα καὶ τάττειν ἕκαστον ταχθέν

Vbi paterna unitas eſt,
Porrecta eſt unitas, quæ duo generat,
Dyas enim hanc ſedet, & intellectualibus
fulgurat ſectionibus,

Et

Et gubernare omnia & ordinare unum quodque non ordinatum.

Vides dualitatem ex unitate oriri, esse apud unitatem, principium esse omnia gubernans & ordinans, luce intellectuali radiare, ex luce unitatis; quæ omnia de principio contrario, caliginem ex se suaque natura & fovente & operante dici non possunt, commode vero de secundario aliquo intellectuali, quod ex primo emanavit, quodque quia alterius luce radiat, caliginis nomen apud caliginosos istos philosophos tuetur. Plura jam in re obscurissima dicenda non sunt, præsertim cum alio loco pluribus de ea tradiderimus: sed monenda hæc tantum fuerunt, ut ostenderemus Pythagoram ad ψυχογονίαν suam numerorum doctrinam retulisse, perinde ut Plato idearum, eosque adeo in ipso fundamento egregie convenire.

§. XI.

Hæc cum ita se habeant, mirum non est, eodem fundamento illa inædificasse Platonem, quæ Pythagoras; hujusque numeros peperisse Platonis ideas. Quod inde porro nobis persuadetur, quia eodem fere

fere modo de numeris loquitur Pythagoras, ut de ideis ſuis Plato. Nam quemadmodum hic per ideas intelligibilia intellexit, ſemper ſe eodem modo ſine ortu & interitu ſe habentia, quæ cuilibet rei dent eſſentiam ipſam ex ſeipſis, ut prolixe ex indubitatis ipſius Platonis & ſequacium teſtimoniis demonſtravimus in *Hiſt. de ideis §. IV. p.* 37. *ſeqq.* ita eandem numerorum definitionem deprehendimus apud Pythagoram ejusque aſſeclas. Quam ex NICOMACHI *Arithm. inſt.* damus: ὄντα ὁρίζετο Πυθαγόρας εἶναι, τὰ κατὰ τὰ αὐτὰ ἢ ὡσαύτως ἀεὶ διατελοῦντα ἐν τῷ κόσμῳ, καὶ οὐδέποτε τοῦ εἶναι ἐξιστάμενα, οὐδὲ ἐπὶ βραχύ. ταῦτ' ἂν εἴη, τὰ ἄυλα, καὶ ὧν κατὰ μετουσίαν ἕκαστον λοιπὸν τῶν ὁμωνύμως ὄντων καλουμένων, τὰ δέ τι λέγεται καὶ ἔστι τὰ μὲν γὰρ σωματικὰ δήπου καὶ ὑλικὰ ἐν διηνεκῆ. ῥύσει καὶ μεταβολῇ διὰ παντός ἐστι, μιμούμενα τὴν τῆς ἐξ ἀρχῆς ἀϊδίου ὕλης καὶ ὑποστάσεως φύσιν καὶ ἰδιότητα. *Ea quæ ſunt, definiebat Pythagoras illa quæ ſecundum idem ac eodem ſemper modo ſunt perfecta in mundo, & nunquam, ne minimo quidem temporis momento permutantur. Hæc vero eſſe expertia materiæ, ac quorum per participationem cætera, quæ æquivoce dicuntur eſſe, ſunt ac dicuntur. Corpora nempe*

nempe ac materialia in perpetuo fluxu ac mutatione esse per omnia, imitantia naturam & proprietatem materiæ ac substantiæ æternæ. Quæ profecto tam Platonice dicta sunt, ut ovum ovo non sit similius, ut conferenti erit in propatulo. Addimus his merito JAMBLICHVM *in Nicom. Arithm. p.* 2. Πυθαγόρας τὸν ἀριθμὸν ὁρίζει ἔκτασιν καὶ ἐνέργειαν τῶν ἐν μονάδι σπερματικῶν λόγων, ἢ ἑτέρως, τὸ πρὸ πάντων ὑποστὰν ἐν θείῳ νῷ, ἀφ' οὗ καὶ ἐξ οὗ πάντα συντέτακται, καὶ μένει τάξιν ἄλυτον διηρθμημένα. *Pythagoras numerum definivit extensionem & operationem rationum seminalium, quæ unitati insunt, vel aliter, quod in divina mente ante omnia subsistebat, a quo & ex quo omnia in ordinem sunt descripta, & per seriem indissolubilem stant distincte connumerata.* conf. *de vita Pyth. c.* 29. *n.* 159. *p.* 135. Quare & eodem JAMBLICHO *l. c.* auctore, Hippasi sectatores, qui dicebantur Acusmatici, ἀριθμὸν εἶπον παραδειγμα πρῶτον κοσμοποιίας, καὶ πάλιν κριτικὸν κοσμούργου θεοῦ ὄργανον, *esse numerum exemplar primum in creatione mundi, & rursus normam, secundum quam creator Deus judicavit de mundo a se creando.* Sic & *l. c.* Philolao numerus est τῆς τῶν κοσμικῶν αἰωνίας διαμονῆς ἡ κρατιστεύουσα

τεύουσα

τέυουσα καὶ αὐτογενὴ συνοχὴ, *vinculum potentia sua sustinens æternam rerum mundanarum permansionem, sibique innatum.* Vnde & ALEXANDRO APHROD. in *pr. anal.* οὐσία ἀριδμὸς, *numerus essentia*, κατ' ἐξοχὴν scilicet & per se vocatur, & numerorum contemplatio τῶν ἀϊδίων καὶ ὁμοφύλων αὐτῶν ἀσωμάτων ἀεὶ καὶ κατὰ ταυτὰ καὶ ὡσαύτως ἐχόντων δέα, *rerum æternarum ejusdemque generis & incorporearum, perpetuo secundum idem atque eodem modo se habentium consideratio*, apud PORPHYR. *de vita Pyth. p.* 31. Surroga numero ideam, & eadem habebis, quæ iisdem verbis Plato tradidit, nosque prolixe satis *l. c. §. 6. p.* 87. *seqq.* exposuimus, & testimoniis confecimus luculentissimis, notato tum jam Pythagoreæ & Platonicæ scholæ consensu. Recte itaque veteribus quibusdam numerus & idea sive forma idem sonant, ex quibus SIMPLICIVS in *Phys. libr. I.* εἰκότως ἓν μὲν τὸ εἶδος ἔλεγεν (κατὰ τὸ Πυθαγόρειον ἔθος) ὡς ὁρίζον, ὅπερ ἂν καταλάβῃ καὶ περατοῦν. *Merito unum formam secundum morem Pythagoreum dixit, ut quæ finiat, quod comprehenderit, atque terminet.* Et AVCTOR. *theologum.* εἶδος οὖν εἴδους οὐκ διαμάρτημεν αὐτὴν ἡγούμενοι. *Itaque si formam formæ eum*

(Sena-

(Senarium) *esse arbitremur, non errabimus.* Quibus locis vocem a Platone desumtam non refugiunt Pythagorei. conf. AVREA CARM. *v.* 47. & HIEROLL. *ad h. l.* Ex ista definitione altera harmonia inter Pythagoræ numeros & Platonis ideas oritur, scilicet distinctio inter numeros intelligibiles & scientificos, sive mathematicos, quemadmodum Plato distinxit inter ideas divinas sive intelligibiles & humanas sive Logicas, quas & sensibiles vocat, de quo diximus in *Hist. de ideis Sect. I. §. 7. p.* 112. *seqq.* Cum enim Pythagoras probe videret, numeros ex se nihil generare nisi numeros, eorum rationes in intellectuales & scientificas dispescuit, & per intellectuales quidem substantias æternas numeri intellexit, id est, fontem & radicem omnium, quod ante omnia extitit in mente divina, a quo & ex qua omnia ordine digeruntur, atque indissolubili serie numerata manent, ut habet NICOMACH. in *Intr. in Arithm.* & ex eo JAMBLICHVS *ad h. l.* cujus verba supra adducta sunt. Hic intellectualis numerus Pythagoræ idem est, quod Platoni idea, scilicet exemplar æternum, substantia immaterialis & vera, juxta quam & per quam omnia perficiuntur, cœlum, tem-

pus, motus, ſidera, ut l. c. NICOMACHVS prolixe docet; conf. JO. MEURS. *de denar. Pyth. c. I. p. 8. ſeqq.* Numerus vero ſcientificus, quem & Mathematicum vel artificialem voces, Pythagoræ eſt extenſio & operatio rationum ſeminalium, quæ unitati inſunt, ut Jamblichi & Nicomachi verbis ſupra docuimus vel ut Moderatus apud STOBAEVM *Eccl. Phyſ. c. 2.* monadum congeries ſive progreſſio multitudinis a monade incipiens, regreſſio in eandem deſinens. Ex hac diſtinctione numerorum intelligibilium & ſcientificorum orta quoque diſtinctio inter unum & unitatem. Eſt enim ἡ μονὰς τῶν ἀριθμῶν, τὸ ἓν τῶν ἀριθμητῶν, *unitas numerorum, unum autem numerabilium*, ut concinne Moderatus, ſic ut numeri differant a numerabilibus, ut corporea ab incorporeis. Convertit ANONYMVS *Auctor Vitæ Pythag. apud Photium cod. 259.* διαφέρειν ἔλεγον οἱ ἀπὸ Πυθαγόρου μονάδα καὶ ἓν μονὰς μὲν γὰρ παρ' αὐτοῖς ἐνομίζετο ἡ ἐν τοῖς νοητοῖς οὖσα, ἓν δὲ τὸ ἐν τοῖς ἀριθμοῖς, *Pythagorei ajebant differre unitatem & unum, unitas enim ab iis exiſtimabatur, quæ in intellectualibus exiſtit, unum vero id, quod in numeris.* Sed quicquid illud eſt, ſufficit nobis, intellectuales numeros longe dif-

ge differre a ſcientificis, qui arithmetices objectum conſtituunt.

§. XII.

Porro & origine & dignitate numeri Pythagorici cum ideis Platonicis conveniunt. Platoni enim fons idearum, νοῦς, λόγος, mens ratiove divina ab æterno ideas producens, ut multis dictum in *Hiſt. de ideis Sect. I. §. 5. p. 53. ſeq. p. 58. ſeqq.* Nec aliter Pythagoræ numerus, qui ut omnis numerorum ſeries in unitate comprehenditur, & ex ea explicatur, ita unum illud æternum omnes ex ſe numeros produxiſſe, multis operoſe contendit, immo caput quaſi philoſophiæ ſuæ in emanatione τῶν ὄντων νοητῶν conſtituit. Nec profecto multa hic probatione opus eſt, cum adducta jam, immo omnia ab eo dicta manifeſte id clamitent. En tamen argumenta hujus rei pauca. Vnitas Pythagoræ fons reliquorum numerorum intellectualium; *Oracula v. 37. ſeqq.*

Ἔχει τῷ νοεῖν πατρικὸν νοῦν ἐνδιδόναι
Πάσαις πηγάιστε καὶ ἀρχάις.
Ἔστι γὰρ πέρας τοῦ πατρικοῦ βίστοῦ καὶ πηγὴ τῶν νοερῶν

Potest intelligendo, paternam mentem indere
Omnibus fontibus & principiis.
Est enim terminus paternæ profunditatis, & fons intellectualium.

Hæc de mente quidem, secundo a patre principio, quæ tamen omnino ad patrem sive unitatem referenda quoque sunt; quia non tantum paternam principiis mentem indere dicitur sed &

Μηδὲ προῆλθεν, ἀλλ' ἔμεινεν ἐν τῷ πατρικῷ βυθῷ
Καὶ ἐν τῇ ἀδύτῳ κατὰ τὴν θεοθρέμμονα σιγήν.

Non progressa est, sed mansit in paterno profundo
Et in adyto, juxta nutritum a Deo silentium.

Immo v. 18. unitas vocatur

Καὶ πηγὴ πηγῶν ἁπασῶν
Μήτρα συνέχουσα τὰ πάντα.

Fons quoque fontium omnium
Matrix continens omnia.

Vel

Vel ut THOM. GALE *ad Jamblich. de myſter. Ægypt. p.* 299. hunc verſum integre legit

Καὶ πηγὴ πηγῶν, καὶ μηγῶν πείρας ἁπασῶν.

Fons fontium, & fontium quoque omnium finis.

Addit quoque rectiſſime, eſſe Platonis hanc plane doctrinam de Ideis, qui vult fluere ἀπὸ τοῦ ἑνὸς τὰς ἰδέας ἤτοι τὰ νοητὰ εἴδη, τῇ νοήσει μόνῃ γνωστὰς, *ex uno ideas vel intellectuales ſpecies & formas, ſolo intellectu cognoſcendas*, hancque doctrinam aliis atque aliis nominibus tractaſſe præter alios etiam Pythagoram. Multa non eodem tantum ſenſu, ſed iisdem quoque verbis apud SYNESIVM in *Hymnis*, indigna plane Chriſtiano Epiſcopo, ita v. g. *Hymn. II. p. m.* 27. edit. Henr. Steph.

— — — σὺ δ' ἐσσὶ ῥίζα
Παρεόντων, πρό τ' ἐόντων
Μετεόντων, ἐνεόντων
Σὺ πατὴρ σὺ δ' ἐσσὶ μήτηρ,
Σὺ δὲ ἄῤῥην, σὺ δὲ θῆλυς,
Σὺ δὲ φωνὰ, σὺ δὲ σίγα.
Φύσεως Φύσις γενῶσα.

Σὺ δ' ἄναξ ἀιῶνος ἀιών
Τὸ μὲν ἦ θέμις βοᾶσαι
Μέγα χαῖρε ῥίζα κόσμου
Μέγα χαῖρε κέντρον ὄντων,
Μονὰς ἀμβρότων ἀρίθμων
Προανουσίων ἀνάκτων. Κ. Τ. Λ.

— — —*Tu autem ut radix*
Præsentium, præteritorum,
Futurorum, eorum, quæ sunt.
Tu pater, Tu es mater
Tu mas, Tu fœmina
Tu vox, Tu silentium,
Naturæ natura fœcundæ.
Tu, ô rex, seculi seculum,
Quantum id quidem fas est voce testari.
Longum salve radix mundi,
Longum salve centrum rerum
Vnitas divinorum numerorum
Substantia carentium regum &c.

Hæc profecto tam exacte ad Pythagoræ mentem dicta, ut ipse Pythagoras luculentius non valeat: qua vero pietate vel cum puriore philosophia sanctissimæ religionis nostræ convenientia, judicent, quorum interest. Patet hinc ratio, cur monas, etsi

quam

quam maxime intellectualis, id eſt, ſpiritualis naturæ, in ſchola Italica audiat ὕλη, πανδοχεὺς, τάρταρος, χάος, ut videre eſt eſt iis, quæ collegit diligentiſſimus MEVRSIVS *de Den. pyth. c. III. p.* 19. *ſeqq.* non quod ſenſu Pythagorico unitas ſit materia, ex qua corporea formantur, huic enim materiæ opponitur, ſed quod ſit fons intellectualium, ex quo fluunt: licet negandum non ſit, ipſam unitatem; ſive Deum, ſi verum ſpectes, non obſtante omni, quam ei adſcribit Pythagoras, ſpiritualitate eſſe materiam ſubtiliſſimam, craſſiori opponendam ex mente philoſophi, ignem ſcilicet ſubtiliſſimum, ætheris quoque nomine inſignitum, ut alio loco pluribus docemus. Sed hæc noſtri quidem inſtituti non ſunt, ubi ſatis eſt probari, ex fonte hoc emanaſſe reliquos numeros intelligibiles. Concinunt alii; HERMIAS *irriſ. gentil. philoſ.* de Pythagoreis ſermone facto: ἀρχὴ τῶν ἁπάντων ἡ μονὰς, ἐκ δὲ σχημάτων αὐτῆς καὶ τῶν ἀριθμῶν τὰ στοιχεῖα γίνεται. *Principium omnium unitas eſt, e figuris autem ejus numerisque elementa fiunt.* MACROBIVS non minus luculenter *Somn. Scip. l. I. cap.* 6. *Vnum autem, quod* μονὰς *eſt, par idem atque impar, ipſe non numerus, ſed fons & origo numerorum.*

Hæc monas initium finisque omnium, neque ipsa principii aut finis sciens, ad summum refertur Deum, ejusque intellectum a sequentium numero rerum & potestatum sequestrat, nec in inferiore post Deum gradu eam frustra desideraveris. Hæc est illa MENS, ex summo enata Deo. In quibus verbis satis luculentam habes verborum Oracul. supra adductorum explicationem. Sed & sequentia legenda sunt, licet quædam admisceat, Platonicis magis quam Pythagoreis propria. Patet ex dictis causa, cur unitas ab his viris vocetur non solum οὐσία, ἄιτιον τῆς ἀληθείας, ἁπλοῦν παράδειγμα, substantia (summa & prima), causa veritatis, simplex exemplar, sed & ἄῤῥενοθήλυς sive ἀνδρόγυνος, hermaphroditus, quoniam ipsa sibi produxit ex se binarium, sive alterum principium λόγον, νοῦν, δυάδα (quocunque enim nomine insignias Platonico vel Pythagorico, perinde est) ex quorum connubio deinde reliqui numeri, reliquæ ideæ, reliqua principia intellectualia emanatione intellectuali originem substantiamque acceperint. Hæc si attente teneamus, facile intelligere licebit, quid sibi voluerint, non Pythagoras solum, sed & omnes fere gentiles theologi, Deum facientes ἀνδρόγυνον, nempe

nempe cuncta intelligibilia & ſpiritualia ex Deo primo & ſecundo, id eſt, Deo ex Deo progenito emanaſſe. De qua re multa dicenda eſſent, niſi ab hoc noſtro inſtituto remotiora aliam tractationem requirerent; videre interim licet, quos in *Hiſt. de ideis Sect. II. §. 2. pag.* 186. *ſeq.* laudabimus, quibus adde ſis SOVVERAIN. *Platon. det. P. I. c. 8. pag.* 85. & S. Rev. JO. CHR. WOLFIVM *de Manich. ante Manich. p.* 117. Pythagoram vero unitatem dixiſſe marem & feminam, nubes teſtium evincit; vid. NICOMACH. l. *c.* MACROB. *l. c.* THEON. SMYRN. *Mathem. Pl. c.* 5. pluresque alii. Scilicet aliter dici unitas non poterat, cum in ſe contineret, & parturiret quoque ex ſe principium illud, ex quo reliqua principia ſunt omnia. Fruſtra itaque nobis eſſe videntur, qui hanc appellationem inde ortam credunt, quod Deo ſummo materiam coæternam & independentem, tanquam principium abſolute primum adjunxerit Pythagoras, cuncta ex duplici coexiſtente principio facta eſſe, aſſerens. Omnia enim, ut vidimus ad τὰ νοητὰ referuntur, materia vero, quatenus Deo opponitur, nulli philoſopho ex Deo, nec Pythagoræ, niſi eo ſenſu, omnia principio fuiſſe unum,

quo tamen admisso, materia Deo opponi non potest. Videlicet decepit multos ex veteribus quoque ambiguitas verborum Pythagoræ de hac re, videndos apud Cel. WOLFIVM *l. c.* qui multa eruditissime cumulat. Sed de hac re alio loco. Quemadmodum vero eadem gaudent origine Pythagoræ numeri & Platonis ideæ, ita eadem quoque superbiunt dignitate, florentque officio, ut ita dicamus. Vtrique enim philosopho principia sunt rerum sensibilium & seorsim numero existentium. Res ex dictis manifesta prolixa probatione non eget, videndus vero, qui multis eam exposuit SEXTVS EMPIRICVS *adv. Mathem. l. IX. p.* 422. Paucis egregie PHOTIVS in *judiciis de theologum. arithmet. Nicomachi:* ἵνα τοὺς ἀριθμοὺς θεοποιήσῃ, καὶ τῶν ὄντων τῆς οὐσιώσεως αἰτίους ἀναπλάσῃ, ἀφ' ἑκάστης τῶν εἰρημένων ἐπισημῶν ἔνιά τινα τῶν θεωρεμάτων τῇ πρὸς τοὺς ἀριθμοὺς ἐνυφαίνει θεοπλαστίᾳ, *ut e numeris Deos efficiat, eosdemque omnis essentiæ rerum subsistentium auctores ac causas effingat, e singulis jam nominatis disciplinis theoremata quædam huic Deorum effictioni intertexit.* Nec minus clare SIMPLICIVS *ad Phys. l. I.* οἱ Πυθαγόρειοι τοὺς ἀπὸ μονάδος ἄχρι δεκάδος ἀριθμοὺς ἀρχὰς ἔλεγον τῶν πάντων,

Pytha-

Pythagorei numeros ab unitate usque ad denarium rerum omnium principia esse dicebant, conf. PHILOSOPHVM. *Origenis c. I. p.* 31. PROPHYR. *de vita Pyth. p.* 33. Cum vero ista principia divinam originem habeant, & divina principia sint; recte quoque τῷ ἀριθμῷ τὴν ὡρισμένην οὐσίαν τῶν θεῶν, *definitam numero essentiam Deorum*, ut emendat LVD. KVSTERVS *ad h. l.* id est numero constare essentiam divinam dixit JAMBLICH *cap.* 28. *n.* 147. *pag.* 124. Quemadmodum & Plato eadem ratione ductus ideas inter divina retulit, uti monitum *in Hist. de ideis Sect. I. §.* 6. *p.* 90. *seqq.*

§. XIII.

Vidimus hactenus numeros Pythagoræ in se, eosque satis accurate cum ideis Platonis convenire deprehendimus, quod si jam eos ratione hominis, cui objectum sapientiæ, immo, si illos audias, omnis felicitatis constituunt, consideres, eandem iterum inter Pythagoram & Platonem observabis harmoniam. Eandem enim sententiam supponit uterque, eadem chorda oberrat, eosdem, si verum fatendum est, fovet errores. Constituta enim semel spiritualium rerum natura, non potuit non ani-

animum ex divina mente carptum dicere Pythagoras, ut de Platone quoque probatum dedimus *l. c. Sect. I. cap. 6. pag. 95. seqq.* quippe ex nihilo nihil fieri posse credebat, & materiæ quoque spiritualem animæ naturam, & immortalitatem, quam a Pherecyde magistro didicerat docueratque, ut est apud LAERT. *L. VIII. §. 27.* & CICERON. *Tusc. Q. q. l. I.* refragari cernebat. Hinc Deus animæ origo, de qua *Oracula v. 215. seqq.*

Χρή σε σπεύδειν πρὸς τὸ φάος καὶ Πατρὸς αὐγὰς
Ἔνθεν ἐπέμφθη σοι ψυχή, πολὺν ἐσαμένη νοῦν,
Ταῦτα πατὴρ ἐνόησε, βροτὸς δὲ οἱ ἐφύσσετο.

Oportet te festinare ad lucem & patris radios,
Vnde missa est tibi anima multam indutæ mentem,
Hæc pater cogitavit, mortalisque ei animatus.

Et hæc causa quoque est, cur Pythagoras animam, quam ἀριθμὸν ἑαυτὸν κινοῦντα, *nume-*

numerum ſe ipſum moventem vocat apud PLVTARCH. *de plac. phil. libr. IV. cap.* 2. dixerit ἀπόσπασμα τοῦ αἰθέρος, *avulſionem ætheris*, notante LAERT. *L. VIII.* ſ. 28. ſcilicet immortalis & divini, ſive Dei ipſius; non enim alium agnovit Deum, licet eum a materia craſſiore ſepararet. Quod clarius expreſſit PLVT. l. c. c. 7. Πυθαγόρας, Πλάτων ἄφθαρτον λέγουσιν εἶναι τὴν ψυχήν, ἐξιοῦσαν γὰρ εἰς τὴν τοῦ παντὸς ψυχὴν ἀναχωρεῖν εἰς τὸ ὁμογενές. *Pythagoras & Plato incorruptibilem animam eſſe dicunt, decedentem enim in univerſi animam ſecedere, ad id quod ejusdem generis & naturæ eſt.* Omnium clariſſime CICERO *de nat. Deor. libr. I. Pythagoras, qui Deum cenſuit animum eſſe, per naturam rerum omnium intentum & commeantem ex quo animi noſtri carperentur, non vidit diſtractione humanorum animorum diſcerpi & dilacerari Deum.* Quæ quoque repetit *de Senect. c.* 21. Sic & alii, quos tamen in re nota non adducimus, ne ſimus nimii. Cave tamen hic νοῦν & ψυχὴν confundas; iſta enim, quam ex Plutarcho adduximus, definitione animæ, mentem Pythagoras definivit, Plutarcho ipſo interprete, quam ab extrinſeco animæ ſiderali inſeri dicebat, vid.

STO-

STOBAEUS *Ecl. Phyſ.* idque θείᾳ μοίρᾳ, *divina participatione*, id eſt, tanquam pars Dei, ut CLEM. ALEXANDR. *l. V. Stromat.* De iſta itaque mente, quam immortalem numerum ex ejus ſententia non incommode vocaveris, intelligendus philoſophus Samius, quando ait, eam numeros in ſe continere, ut ſecundum Platonem ideas. Quaternione enim, ſi Pythagoreos audias, mentes conſtant, ex eaque omnes ſcientiæ proficiſcuntur, quod qua ratione intelligendum ſit, apud PLVTARCH. *de placit. philoſ. l. III.* pluribus videndum, licet non negemus, Pythagoreos, & qui ipſorum ſententiam referunt, in eo explicando, quomodo numeri inſint animæ, admodum fluctuare, & eſſe incertiſſimos, qui ſcilicet ipſi, quid dicant, non ſatis intellexerunt, quod eorum inter ſe placita conferenti mox patebit, ſi vel unum Plutarchum cum *Anonymo auctore vitæ Pythagoræ* apud PHOTIVM *cod.* 259. quem HOLSTENIVS quoque *Porphyrio* adjunxit *p.* 59. & quæ ibi de cognitionis animæ humanæ modo dicuntur, comparet. Quis enim certi quid in ejusmodi ſomniis expectabit? Hanc animam, ſive mentem potius, a Deo profectam corpori inditam, venis & arteriis corporis

poris tanquam vinculis concludi & detineri, ante Platonem quoque asseruit Pythagoras, cui animæ e cœlo excluſæ & delapſæ creditæ ſunt, ſi HIERON. *in quæſt. ad Hebid.* 9. 10. fides eſt, conſpirante tota philoſophiæ Pythogoreæ natura & conſtitutione. Clare id LAERT. *l. VIII. ſect.* 31. δεσμὰ εἶναι τῆς ψυχῆς τὰς φλέβας, καὶ τὰς ἀρτηρίας καὶ τὰ νεῦρα, *vincula animæ eſſe venas & arterias & nervos.* Quod quidem de anima ſiderali, non de mente intelligendum eſſe primo intuitu videtur, ſaltem, quæ de immiſſione ejus & exitu apud hunc auctorem dicuntur, ita explicari commode poſſunt; de ipſo tamen νῷ ſive mente intelligenda eſſe, finis Pythagoreæ philoſophiæ poſtulat, qui perinde ut Platonicæ, eſt, liberatio mentis a corporis vinculis. Ita enim JAMBLICHVS *libr. II. cap.* 13. Φιλοσοφία ἀπαλλαγὴν τῶν ἀνθρωπίνων δεσμῶν παρέχει καὶ λύσιν τῆς γενέσεως, καὶ περιαγωγὴν ἐπὶ τὸ ὄν, καὶ γνῶσιν τῆς ὄντως ἀληθείας, καὶ κάθαρσιν ταῖς ψυχαῖς, *philoſophia continet ſolutionem a cingulis humanis, & liberationem a natura conatis, & converſionem ad id, quod eſt, & notitiam rerum veritatis & purgationem animæ.* Sic eodem loco liberari corpus dicit ab amen-

tia

tia corporis, & purgationem in eo consistere, ut separetur quam maxime animus a corpore, liberque fiat ab eo velut ex vinculis. Quæ liberatio a corpore celebratissima his hominibus mors est philosophica. Eadem habet HIEROCLES *ad Carm. aur. init.* qui finem philosophiæ dicit κάθαρσιν ἀπὸ τῆς ὑλικῆς ἀλογίας καὶ τοῦ θνητοειδοῦς σώματος, *purgationem ab irrationabilitate materiæ, & mortali corpore*, PORPHYRIVS item non minus luculenter *de vita Pyth. p.* 31. Φιλοσοφίαν ἐφιλοσόφησεν, ἧς ὁ σκοπὸς, ῥῦσασθαι καὶ διελευθερῶσαι τῶν τοιούτων ἐγγμῶν καὶ συνδέσμων τὸν κατακεχωρισμένον ἡμῖν νοῦν, *philosophiam profitebatur, cujus scopus erat, insitam nobis mentem ex hujusmodi impedimentis atque vinculis eruere atque in libertatem vindicare.* Quæ omnia, ut de fine intermedio, cum ultimo, de quo paulo post dicemus, non confundendo, intelligenda sunt, ita quid de vinculis mentis corporeis ejusque liberatione Pythagorei docuerint, satis indicant. Ex quibus lux affulget iis, quæ JAMBLICH. *de vita Pyth. c.* 28. *n.* 153. habet: λέγει δὲ καὶ μὴ τίκτην ἐν ἱερῷ, οὐ γὰρ ὅσιον ἐν ἱερῷ καταδεῖσθαι, τὸ θεῖον τῆς ψυχῆς εἰς τὸ σῶμα, *in templo dixit, pariendum non esse, fas enim non esse ut in loco sacro divina anima*

anima corpori alligetur. Liberatam vero philoſopiæ munere mentem ad cognitionem vere entium, τῶν νοητῶν, quæ per numeros intelligi, ſatis jam monuimus, duci, una cum Platone tota Pythagoreorum ſecta conſtantiſſime aſſeruit, quorum teſtimonia abunde ſatis collegit JO. SCHEFFER. *de nat. & conſtit. phil. Ital. c. VIII. p. 56. ſeqq.* qui nobis otium in hac re fecit, unicum itaque teſtimonium in rem præſentem vocamus, quod nobis ante oculos, PORPHYRII l. c. πρῶτον μὲν παιδαγωγῶν ἑαυτὸν ἠρέμα πρὸς τὴν τῶν ἀϊδίων καὶ ὁμοφύλων, αὐτῶν, ἀσωμάτων, ἀεὶ καὶ κατὰ ταυτὰ καὶ ὡσάυτως ἐχόντων θέαν *principio quidem ſemet ipſum ſenſim ad rerum æternarum, ejusdemque generis & incorporearum, perpetuo ſecundum idem atque eodem modo ſe habentium contemplationem aſſuefaciens.*

§. XIV.

Ex dictis haud obſcure ſequitur, id quod Pythagoras & ſequaces toties inculcarunt, objectum philoſophiæ eſſe numerum, cum objecto philoſophiæ Platonicæ, quod idea eſt, amice conſpirans. Cum enim, ut modo diximus, philoſophiæ munus ſit, animum a corporis vinculis & ma-

teriæ catenis liberatum ad notitiam & intuitionem, ut ita dicam, entium proprie talium, ad veritatem ſimplicem, ad ſubſtantiarum intellectualium contemplationem puram & ſpiritualem ducere, quæ voces omnes numeris quoque conveniunt, ut ex dictis liquere putamus, numeri certe totam philoſophiam occupant. In quo præter alios teſtem habemus eundem, quem ſupra, PORPHYR. *l. c. pag.* 32. mathematicas ſcientias & ſpeculationes ideo adhibitas dicentem, ἵνα προγυμνάσῃ κατὰ βραχὺ πρὸς τὰ ὄντως ὄντα ἀπὸ τῶν μηθέποτε κατὰ ταυτὰ καὶ ὡσαύτως ἐν ταυτῷ μηδ' ἐφοσονοῦν διαμενούντων σωματικῶν τὰ τῆς ψύχης ὄμματα, μετὰ τεχνικῆς ἀγογῆς εἰς τὴν ἔφεσιν τῶν τρόφων προσάγων, δι' ὧν ἀντεισάγων τὴν τῶν ὄντως ὄντων θέαν, μακαρίους ἀπετέλει, *ut iis, velut præexercitationibus paulatim utatur ad contemplationem eorum, quæ vere exiſtunt, artificioſa quadam ratione mentis oculos a rebus corporeis nunquam ſecundum idem atque eodem modo in uno eodemque ſtatu vel tantillulum permanentibus ad alimentorum deſiderium adducens, quorum ope comtemplationem eorum, quæ vere exiſtunt, introducendo, homines beatos reddebat.* In quibus verbis, quod de alimentis dicitur, lucem mutuat

mutuat ex iis, quæ *Hiſt. de ideis Sect. I. §. 6. p. 93. ſeqq.* diximus, ideas eſſe pabulum animarum ſapientium, nempe quia earum contemplatione tanquam ambroſia & nectare nutriuntur & ſuſtentantur. Idem enim traditum de Pythagora quoque, de quo Damaſcenus, cujus ex Iſidoro verba refert PHOTIVS *cod.* 242. Τῶν μὲν παλαιοτάτων φιλοσοφάντων Πυθαγόραν καὶ Πλάτωνα θειάζει, καὶ τῶν ἐπτερωμένων ἐκείνων ψυχῶν εἶναι, ἃς εἰς τὸν ἐπουράνιον τόπον, εἰς τὸ πεδίον τῆς ἀληθείας, εἰς τὸν λειμῶνα τῶν θεῶν νέμονται ἰδεῶν, *Antiquiſſimos philoſophos Pythagoram & Platonem, ut Deos coluit, & eorum animas alatas dixit, quas in locum ſupracæleſtem inque campum veritatis & pratum elevatas divinis putavit ideis paſci.* Sed hoc obiter. Ad hunc vero ſcopum numeros ſcientificos adhibebat Pythagoras, iis quaſi Symbolis uſus ad numerorum intellectualium naturam & rationes explicandas. Cujus teſtem Porphyrius laudato loco adducit MODERATVM GADITANUM *de Pythagor. placitis*, (de quo videſis JO. JONSIVM *de Scriptor. hiſtor. philoſ. l. III. c. 5. p. 229.*) qui ait: μὴ δυνάμενοι τὰ πρῶτα εἴδη καὶ τὰς πρώτας ἀρχὰς σαφῶς τῷ λόγῳ παραδοῦναι, διότι τὸ δυσπερινόητον αὐτῶν καὶ δυσέξοι-

τον, παρεγένοντο ἐπὶ τοὺς ἀριθμοὺς, εὐσήμου διδασκαλείας χάριν, μιμησάμενοι τοὺς γεωμέτρας καὶ τοὺς γραμματιστάς. *Cum primas formas primaque principia oratione perſpicue explicari nequirent, quod & intellectu & prolatu difficillima ſint, ad numeros manifeſtioris doctrinæ cauſa confugerunt, geometras & literatores imitati.* Cauſa igitur eſt in propatulo, cur Jamblicho aliisque hæc doctrina dicatur θεολογία κατ' ἀριθμῶν *theologia in numeris*, vel ut *Anonymus* librum ſuum inſcripſit, θεολογούμενα τῆς ἀριθμητικῆς, quia per numeros res divinas explicabant. Eædem vero cauſæ quoque allegandæ ſunt, cur matheſis Pythagoræ dicatur eminiſcentia, ut Platoni de Dialectica ſua viſum eſt, vid. *Hiſt. de ideis p.* 100. *ſeqq.* Ita enim eam dictam voluit philoſophus monente PROCLO *in Euclid. l. I. p.* 13. quia non intrinſecus adveniat animæ, quemadmodum adveniunt imagines ab objectis ſenſuum in facultate imaginatrice formatæ. Cum enim mens, quæ ipſa quidem eſt numerus, numeros omnes in ſe habeat, & ab univerſo, in quo ſunt rationes numerorum ſeminales, participet, liberata a corporis vinculis ſibique reſtituta, & in domeſticas quaſi admiſſa ſedes, eorum reminiſcitur, quorum antea jam

fuit

fuit conſcia, cum, ut Proclus ait, *in ſe ipſa ſita habeat multitudinis & Magnitudinis principia*, &, quæ ipſa Pythagoreorum ſententia eſt apud PROPHYR *l. c. p.* 31. quem exſcripſit, ut ſæpius JAMBLICH. *de vita Pyth. c.* 32. *n.* 228. *pag.* 184. πανθ' ὁρᾷ καὶ πανθ' ἀκούει· *omnia videat & omnia audiat*, quod Epicharmi dictum fuit, teſte Plutarcho, Maximo Tyrio, Tzeze aliisque apud KVSTERVM *ad l. c.* Jamblichi.

XV.

Confectis his, reliqua quæ de hoc argumento dicenda ſuperſunt, quæque harmoniam inter Pythagoræ numeros & Platonis ideas evincunt, hasque ex iſtis ortas eſſe docent, facili expediemus negotio. Idem ſcilicet Pythagoræ & Platoni ultimus philoſophiæ finis, eadem ad eum conſequendum propoſita & commendata media. Finis haud alius, quam ut per cognitionem numerorum, aut, ſi mavis, entium vere talium mentes ad intuitivam tandem promotæ cognitionem Deo fiant ſimiles, immo ipſi Dii, Non obſcure ipſum CARM. AVR. *in fine:*

Ἦν δ' ἀπολείψας σῶμα εἰς ἄιθερ' ἐλεύθερον ἔλθῃς
Ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς, ἄμβροτος οὐκ ἔτι θνητός.

Sic ubi depoſito conſcendes corpore cœlum
Immortalis eris divus, ſemperque beatus.

Clarius HIEROCLES ad *h. l.* de iſtis carminibus: πρὸς τὴν θείαν ὁμοίωσιν ἀνάγει, καὶ τῆς Πυθαγορικῆς φιλοσοφίας τὸν τελειότατον σκοπὸν ἐκαλύπτει, *ad divinam ſimilitudinem ducunt, Pythagoricæque philoſophiæ perfectiſſimum finem oſtendunt*, quæ & paſſim inculcat, ut & Pythagoreorum alii longo agmine videndi apud SCHEFFERVM *libro ſæpius laudato cap. VI. p.* 43. *ſeqq.* Hinc appoſite ex ſcholæ ſuæ ſententia olim Empedocles apud LAERT. *l. VIII. ſ.* 66.

Χαίρετ', ἐγὼ δ' ὑμῖν θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητὸς
Πωλεῦμαι.

Salvete, ego vobis Deus immortalis haud amplius mortalis
Verſor.

Quæ recte quidem ex parte ita explicuit SEXTVS EMPIR. *adv. Mathem. pag.* 60.

Ὁ Ἐμ-

Ὁ Ἐμπεδοκλῆς θεὸν ἑαυτὸν προσηγόρευσεν, ἐπὶ μόνος καθαρὸν ἀπὸ κακίας τηρήσας τὸν νοῦν, καὶ ἀνεπιθόλωτον, τῷ ἐν αὐτῷ Θεῷ τὸν ἐκτὸς κατείληφεν. *Empedocles ſeipſum appellavit Deum, quoniam cum ſolus conſervaſſet mentem a vitio puram & inperturbatam, eo qui in ſe erat Deo, Deum, qui erat intrinſecus, comprehendit.* Eſt enim Pythagoreis, ut Platonicis, Stoicis aliisque mens pars Dei; ſed ex verbis aurei carminis manifeſtum, Empedoclem ad finem ultimum philoſophiæ reſpexiſſe, quem ſe fuiſſe conſecutum exiſtimavit, recte ideo arrogantiæ accuſatur, cum humanam conditionem longe ſuperet. Unde Plato cui & ipſi hic finis placuit, magis ſobrius addidit, κατὰ τὸ δυνατὸν ἀνθρώπῳ; *quantum licet homini*, ut pluribus probat SCHEFFER. *l. c. pag.* 42. *ſeq.* Tandem & media eluctandi e corporis vinculis, & aſcendendi ad conſummatiſſimam iſtam felicitatem Pythagoræ & Platoni eadem ſunt, ſcilicet purgatio a corporis ſordibus, converſio mentis in ſe ejusque aſcenſus, de quibus toties actum a multis, ut Iliada poſt Homerum ſcribere nefas ſit. In primis vero numerorum exacta cognitio & ſtudium, cujus amore propter excellentiſſimum hunc finem adeo captus fuit Pytha-

goras, ut in numerorum ſcientia omnem ſapientiam poſuerit, haud aliter ut Plato in idearum cognitione, vid. *Hiſt. de ideis p.* 120. *ſeqq.* Teſtis LAERTIVS *l. VIII. ſ.* 8. μάλιστα σχολάσαι τὸν Πυθαγόραν περὶ τὸ ἀριθμετικὸν εἶδος, *maxime vacaſſe Pythagoram circa ſpeciem geometriæ, arithmeticam*, dixiſſeque fertur, hominum ſapientiſſimum fuiſſe, qui numeros inveniſſet, poſt illum, qui rebus nomina impoſuiſſet apud AELIAN. *var. hiſt. l. IV. c.* 17. conf. MENAG. *ad l. c. Laërt. p.* 356. His adde STOBAEVM *Eccl. Phyſ. c.* 2. τὴν περὶ τοὺς ἀριθμοὺς πραγματείαν μάλιστα πάντων τιμῆσαι δοκεῖ Πυθαγόρας, *Pythagoras ſtudium numerorii maxime omnium honoraviſſe videtur:* conf. PROCLVS *in Theol. Plat. l. I. c.* 4. & THEODORET. *Therapeut. XI. p.* 152. ὁ πολυδρύλλητος Πυθαγόρας τὴν τελειοτάτην τῶν ἀριθμῶν ἐπιστήμην ἔσχατον ὑπελάμβανεν ἀγαθόν. *Celeberrimus Pythagoras ſummum hominis bonum in exactiſſima numerorum ſcientia poſitum eſſe exiſtimat.* Plures tacemus.

§. XVI.

Perſpeximus itaque, quantum per Cimmerias quaſi, quibus Pythagoreæ philoſophiæ hiſtoria ſepta eſt, obſcuritatis tenebras

nebras licuit, originem, fontes, naturamque numerorum ex mente ſcholæ Italicæ, & iisdem illos inædificaſſe fundamentis, eadem definiviſſe ratione, eodem tractaviſſe modo, eidem applicuiſſe ſcopo, quibus ideas ſuas inædificavit, definivit, tractavit & applicuit Plato, luculentis veterum probavimus teſtimoniis. Admiſſo itaque, quod initio evictum dedimus, quod multa philoſophiæ ſuæ capita ex Pythagoræ ſchola hauſerit Plato, quis porro negaverit, philoſophum hunc τῶν ὄντων quoque καὶ τῶν νοητῶν, quæ per numeros explicabat Pythagoras, doctrinam ex Italica ſchola in Academiam ſuam tranſtuliſſe, novoque idearum nomine, nova tractatione, magisque perſpicua luce donaſſe, mutatis iis, quæ vel abſurda ipſi videbantur, vel cum reliquis quas adoptavit doctrinis non cohærere poſſe autumabat? Multa enim in hac de rerum principiis per numeros expreſſis doctrina ἀσύστατα & ἀπροσδιόνυσα, longe plura δυσνόητα & inextricabilia eſſe, quis negare audeat? Non expectabis itaque, LECTOR BENEVOLE, ut ſingulorum numerorum rationes & ſignificationes Tibi pandamus luculentas. Quamvis enim multo labore, ea quæ de numeris dixere veteres, college-

rit MEVRSIVS, nihil tamen in iſtis niſi obſcuritatem deprehendimus ineluctabilem, lubentesque fatemur, nihil inde certi & perſpicui nos potuiſſe haurire, nec iſta nos myſteria aſſequi. Tu ſi igitur profundius in hæc ſacra penetras invidere noli, &

Si quid noviſti rectius iſtis
Candidus imperti, ſi non, his utere mecum.

TANTVM!

IV. IRE-

IV.

IRENÆO BIBLIOPHILO

VIRO OPTIMO ATQUE ERUDITISSIMO

S. P. D.

JO. GEORGIUS SCHELHORNIUS.

DUdum Tibi me majorem in modum devinxisti, Virorum Optime, qui non olim modo, cum prima imbecillitatis meæ tentamina in Bibliotheca Bremensi & Miscellaneis Lipsiensibus publice exhiberem, literis humanissime scriptis me ad plura audenda amice non minus quam graviter excitavisti, verum etiam posthac conatus hosce meos literarios calculo Tuo probans trepidantius ac timidius agentem suaviter erexisti, transmissa simul egregia illa observatione, quæ secundum hujus opellæ fasciculum exornat. Te insuper pararium amicitiæ, auro contra mihi caræ, plurimique merito æstimandæ, Celeberrimi Heumanni, auspicati ad nostri sæculi decus

decus nominis, gratus agnoſco. Quum enim e qualicunque meo ad typographicos Maittairii Annales ſupplemento, Petri Aponenſis Conciliatorem, rariſſime alias obvium, in Bibliotheca noſtra publica adſervari, animadvertiſſes, ejusque uberiorem notitiam ab illo deſiderari noſſes, me, ut operis illius recenſionem conficerem, deinde Actis ejus Philoſoph. inſertam, monuiſti, atque ſic viam ad benevolentiam tanti Viri mihi conciliandam pandiſti pariter, ac prævíis Tuis litteris feliciter muniiſti. Multum igitur Tibi debens, pridem quæſivi occaſionem, qua publice, haud in immemorem cecidiſſe illa Tui amoris ac favoris ἐγγυήσεως, teſtari poſſem, hancque avidis arripui manibus. Cognitum nempe habeo, perjucundum Tibi eſſe, ſi monumenta, quæ publico nomine (Tua verba agnoſcis, Vir Eruditiſſime) cenſentur, & vel civilis, vel eccleſiaſticæ hiſtoriæ capita illuſtrant, oculis hominum ſubducta in lucem conſpectumque proferantur: atque ita ejus generis quoddam Nomini Tuo deſideratiſſimo dicare decrevi, nullus dubitans, fore, ut eadem iſtud mente, qua olim Anglorum de concilio Mantuam indicto, ſed non indicato loco dein ad Cal. Nov. prorogato decla-

declarationem, a me Thæodoro Haſæo ἰῳ παυυ ſubminiſtratam, & ab ipſo Bibliothecæ Bremenſ. Claſſ. V. p. 508. ſqq. inſertam, accipias. Felicem me, cui illa de publico pro virium modulo bene merendi voluntas tam proſpere ceſſit, ut ea eximias obſervationes, copioſæ lectionis, limati judicii nec proletariæ eruditionis teſtes in eadem Bibliotheca (†) extantes, Tibi elicuerim: feliciorem vero, ſi hisce Te ad alia in hujus opuſculi ornamentum mecum communicanda permovero. En ergo Tibi Bullam prorogationis Concilii, Mantuam prius indicti, quæ illi Anglorum declarationi anſam præbuit. Ea nuperrime bonis avibus cum aliis hujusmodi in manus incidit meas, in Germania, uti videtur, eo ipſo, quo primum prodiit, anno cum præfatione ac notatiunculis, aculeatis ſatis, in margine adjectis recuſa. Titulo additum eſt hoc Paſquilli carmen in Paulum III. Papam, fugitivum a facie Concilii Mantuani:

Quid

(†) Claſſ. VIII. p. 164. ſqq.

Quid eſt tibi, Papa, quod Concilium fugiſti?
Et vos Cardinales, quia converſi eſtis retrorſum?
A facie reformationis mota eſt curia,
A facie reformationis verè:
Quæ converteret Papam in pauperem Plebanum,
Et Cardinales in miſeros Capellanos.

Sed ad rem.

S. D. N. Pauli, divina providentia Papæ tert. Bulla prorogationis ſacroſancti generalis Concilii.

„*In Nomine Domini Amen.*

„NOverint univerſi hoc præſens publi-
„cum tranſſumptum inſpecturi, quod
„nos Jacobus Puteus, J. U. D. Canonicus
„Sabinenſis, Reverendiſſimi Domini, Do-
„mini Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtoli-
„cæ generalis Auditoris, Romanæque Cu-
„riæ Judicis ordinarii locum tenens, ha-
„buimus, vidimus, & diligenter ſuſpexi-
„mus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Do-
„mini

mini noſtri, Domini Pauli divina providen-„
tia Papæ tertii literas ejus vera Bulla plum-„
bea cum cordulis ſericeis rubei croceique„
coloris more Romanæ curiæ impenden-„
tibus bullatas, & omnimoda ſuſpitione„
carentes. Quarum quidem literarum„
tenor continentia erat iſta: „

PAULUS„

Epiſcopus, ſervus ſervorum,„ Dei, ad futuram rei memoriam. „

DEcet Romanum Pontificem pro pa-„
ſtorali ſuo officio, non ſolum jam„
orta in grege ovium ſibi commiſſarum„
ſcandala auferre, & ne oriantur procura-„
re, verum etiam quantum cum Deo po-„
teſt, earum commodis providere. Supe-„
riore itaque anno, deſiderantes his malis„
& calamitatibus, quibus Chriſtiana multi-„
pliciter laborat Eccleſia, pro officio no-„
ſtro ſuccurrere, veſtigiis majorum no-„
ſtrorum, qui ſalutare remedium in ſimi-„
libus caſibus univerſalis Concilii celebra-„
tionem experti fuerant, inhærendo. De„
venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ„
Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio„
& aſ-

„& assensu œcumenicum seu universale Con-
„cilium, in civitate Mantuæ præsenti año die
„XXIII. mensis Maji proxime futuri inchoan-
„dum, indiximus universis & singulis vene-
„rabilibus fratribus nostris, Patriarchis, Ar-
„chiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis
„Abbatibus & cæteris Ecclesiarum & Mo-
„nasteriorum Prælatis ubique terrarum con-
„stitutis, mandantes, quatenus personali-
„ter, Christianos vero Principes & alios,
„qui de jure & consuetudine in hujusmo-
„di Concilio interesse debent, exhortantes
„ubi pro pace, salute & augmento Eccle-
„siæ Dei & ipsi personaliter (si possent),
„seu minus, per solennes Oratores suos
„congruo tempore, dicto sacro Concilio
„in civitate Mantuæ, ut præfertur, cele-
„brando deberent interesse, prout in aliis
„literis nostris, quas tum Romæ in locis soli-
„tis, tum per literas & nuncios nostros ad hoc
„destinatos, in omnibus Christianitatis par-
„tibus publicari fecimus, plenius continetur.

„Cum autem nuper dicti Concilii in-
„choandi tempore appropinquante, dilectum
„filium, nobilem virum Fridericum Ducem
„Mantuæ, quem promptissimum in hoc fu-
„turum sperabamus, ut civitatem prædi-
„ctam in hospitiis, victualiis & aliis rebus

necessa-

neceſſariis pararet & diſponeret, requiſiſſe-„
mus, ipſe Dux nobis ſuper hoc reſpon-„
dens, non parvam huic negotio intulit „
difficultatem, aſſerens militare præſidium „
& pro eo nutriendo ſtipendium, pro no-„
ſtra & aliorum venientium ad Concilium „
ſuæque civitatis (ut dicebat) ſecuritate „
ſibi neceſſarium eſſe. Quam quidem ob-„
jectam tam ſancto operi difficultatem, li-„
cet difficillimum & fere impoſſibile no-„
bis fuiſſet, hoc tempore, quo præter alias „
noſtras & Apoſtolicæ ſedis longe ſolito „
graviores impenſas, tunc cum perfidiſſi-„
mus fidei noſtræ hoſtis univerſum Chri-„
ſtianum imperium occupare molitur, etiam „
littora & urbes ſtatus noſtri ab utroque „
Italico mari defendere cogimur, pecunias „
alio divertere, tamen omnino ſuperare „
conati fuiſſemus, niſi rem iucongruam „
& mali exempli judicaviſſemus armatum „
Concilium celebrare. „

Eidem itaque Duci ſtatim reſcripſi-„
mus, ad tam ſanctum opus peragendum, „
nec nobis nec aliis illuc conventuris ali-„
quid timendum eſſe, minimeque æquum
fore, ibi arma conſpici, ubi libera omni-„
um ſuffragia eſſe deberent. Ideoque ni-„
hil aliud eſſe jam petere, quod petebat, „

„quam civitatem prædictam manifeste de-
„negare. Cum autem nos multis etiam
„aliis rationibus suspitionem hujusmodi ab
„ejus animo tollere conati fuerimus, id-
„que non semel tantum, sed pluries frustra
„contenderimus, coacti fuimus de loci
„mutatione, & ut maturius id facere possi-
„mus de Concilii celebratione ad aliquod
„tempus proroganda cogitare.

„Quod quidem tum ex eo, quia rem tam
„salutarem, & tam Christianitati necessariam
„accelerare potius, quam differre voluisse-
„mus, tum etiam quod verebamur (prout
„veremur) aliquos ex conventuris nostræ in-
„dictioni confisos, iter aggredi cœpisse, & suo
„cum incomodo & nostra molestia, vel pro-
„gressuros, unde jam excluſi sunt, vel tan-
„to itinere frustra suscepto in suam pa-
„triam redituros, certe molestissimum no-
„bis fuit. Quando autem aliena, non
„nostra culpa ad hoc deventum est, æquio-
„re animo id ferimus. Ut igitur quam
„citius eam, quæ ex inopinato hujus rei
„eventu in ipsorum conventurorum men-
„tibus forsan oriri posset, perturbationem
„tollamus, ac eorum incommodis (ut
„fieri potest) occurramus, de præfatorum
„Cardinalium consilio & assensu, tempus
celebran-

celebrandi hujusmodi ad Kalend. No-„
vembr. (*a*) proxime futuri prorogandum„
duximus, prout prorogamus, alterius non„
minus commodi & idonei loci electio-„
nem, interim per nos faciendam, ad eo-„
rum, ad quos spectat, votum, quam ci-„
tius fieri poterit, deducturi.„

Nulli ergo omnino hominum liceat„
hanc paginam nostræ prorogationis infrin-„
gere, vel ei ausu temerario contra ire. Si„
quis autem hoc attemptare præsumpserit,„
indignationem omnipotentis Dei, ac bea-„
torum Petri & Pauli Apostolorum ejus se„
noverit incursurum.„

Datum Romæ apud sanctum Petrum,„
Anno incarnationis Dominicæ 1537.„
duodecimo Kalend. Maji, Pontificatus„
nostri anno tertio.„

BLOSVS.
B. MOTTA.

(*a*) In margine hæc notula comparet: *i. e. ad Calendas Græcas. Et locus maneat in reservatione pectorali, mentali, nunquam nominabili.*

„Quibus quidem literis Apoſtolicis di-
„ligenter inſpectis, per Notarium publi-
„cum infra ſcriptum ipſas exemplari man-
„davimus & transſumi, ac in publicam
„formam redigi. Decernentes & volen-
„tes, ut huic tranſſumpto publico ſive
„exemplo, plena fides deinceps adhibea-
„tur, ubilibet in locis omnibus & ſingu-
„lis, quibus fuerit oportunum, ipſum-
„que tranſſumptum fidem faciat & illi ſte-
„tur, ac ſi originales ipſæ literæ apparerent.
„Quibus omnibus & ſingulis autoritatem
„noſtram ordinariam interpoſuimus, &
„decretum, & ad ampliorem evidentiam
„præmiſſorum ſigillum prælibati reveren-
„diſſ. Domini Auditoris, quo utimur, du-
„ximus apponendum.

„Actum & datum Romæ in domo
„prælibati Domini Auditoris, in qua jura
„reddi ſolent, hora veſperarum & audien-
„tiæ cauſarum conſueta, ibidem ad jura red-
„dendum in loco noſtro ſolito pro tribunali
„noſtro ſedentes. Sub año a nativitate Do-
„mini Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo
„ſeptimo, indictione decima, die vero Mer-
„curii, ſexta decima menſis Maji, Pontifi-
„catus præfati Sanctiſſ. Domini noſtri anno
„tertio, præſentibus ibidem diſcretis viris,

Magi-

Magiſtris, Philippo de Quinteliis, & Jacobo Apocello, dictæ Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notariis teſtibus ad præmiſſa vocatis atque rogatis. „

Et quia ego Johannes Jacobus Bucca, Cur. cauſ. Cameræ Apoſtolicæ Notarius, exhibitioni, præſentationi, auſcultationi, & tranſſumptioni, ſupraſcript. literarum, ac omnibus & ſingulis præmiſſis præſens fui, eaque fieri vidi, & audivi, ſupra ſcriptum tranſumptum inſtrumentum, alterius manuſcriptum exinde publicavi in fidem præmiſſorum omnium. „

Johannes Jacob. Bucca. „
Notarius qui ſupra ſcripſit. „

Habes itaque, Bibliophile Præſtantiſſime, Romani Præſulis decretum, quod Anglos ad declarationem illam prorſus egregiam promulgandam provocavit. Sed & pauca alia tecum communicanda ſunt. Bullæ illius, qua Paulus III. Concilium A. MDXLII. XI. Kalend. Junii Tridentum indixit, & de qua Tu in Biblioth. Brem. Claſſ. VIII. pag. 202. ſq. docte diſſeruiſti, exemplum Romanum, autographi loco habendum, poſſideo. Tale enim eſt, qua-

lia esse voluit ipse Pontifex omnia, quibus fides certa & indubitata haberi deberet: siquidem Joannes Jacobus Bucca Curiæ caus. Cameræ Apostol. Notarius illi manu sua subscripsit, ac nonnemo, haud dubie in eminenti dignitate ecclesiastica constitutus, sigillo id suo munivit, cujus paucæ tantum literæ, cæteris per vetustatem attritis, sunt legibiles. Ejusdem Bullæ versionem quoque Germanicam, Ingolstadii A. MDXLII. iu quadripertita forma editam, inter reculas meas servo, cujus accipe titulum: *Unsers Hailigsten Herrn Pauli, aus Göttlicher Fürsehung Bapsts, des dritten, Bull verteütscht. Ain hailig General Concilium zu Trient zu halten.* Qua occasione ἐν παροδῳ meminisse juvat primarum editionum Concilii Tridentini. Illius nempe Canones ac Decreta primum Romæ A. CIↃIↃLXIV. in fol. publica auctoritate Paulum Manutium integre nosti excudisse: ad ejus vero editionis fidem prima vice in Germania Dillingæ eodem anno in octuplici forma opus istud prælo fuisse subjectum noto, quæ editio mihi præsto est, Pauli III. Bulla modo memorata aliisque instructa. Hi ipsi autem Canones antea jam particulatim prodierunt in lucem: in manibus quippe meis versatur

versatur ejus Synodi Decretum de Justificatione, in sessione VI. die XIII. Jan. Anno MDXLVII. factum, nec non illud, quod de Sacramentis Ecclesiæ, de residentia ac reformandis in Ecclesia moribus die III. Maji in VII. sessione concinnatum fuit, quæ Coloniæ eodem Anno d. III. Aug. Melchior Novesianus in 8. typis exscripsit. Nunc liceat, ne citius dulcissima isthac, quam Tecum colloquendo percipio, voluptate priver, paucula adjicere de consilio de emendanda Romana Ecclesia jussu Pauli III. P. M. a Gaspare Card. Contareno, Jo. Petro Card. Theatino, Jacobo Card. Sadoleto, Reginaldo Card. Anglico, Federico Arch. Salernitano, Hieronymo Arch. Brundusino, Jo. Matthæo Episcopo Veronensi, Gregorio Abbate S. Georgii Venet. & Thoma Magistro sacri Palatii, ad id delegatis conscripto, cujus mentionem l. c. p. 183. & 190. sq. habuisti. Recudi illud præter alios a Te memoratos in Germania curavit Petrus Vergerius cum præfatione, lectu digna, quam cum ipso illo consilio in Tomo II. Lectionum memorabilium & reconditarum, locupletissimi præstantissimorum monumentorum promptuarii, quo neminem historiæ ecclesiasticæ studiosum

mode carere posse arbitror, f. 398. sqq. (*b*) Jo. Wolfius exhibet. Haud Te fugit, Vir Pereximie, cum Pontifex hoc scriptum Cardinalibus inspiciendum dedisset, eorumque de ipso sententiam postulasset, Nicolaum Schombergium, Cardinalem Capuanum, teste P. Sarpio in Histor. Concil. in 4. Trident. Lib. I. p. 91. edit. Francof. A. 1621. prolixa oratione contendisse, temporum conditionem nullam ejus generis emendationem admittere: at contra Petrum Caraffam Cardinalem Theatinum, consilii istius cum cæteris auctorem, adeo necessariam esse reformationem, ut absque grandi piaculo omitti non posset, asseverasse. Mirum vero, ac bis mirum, eundem Caraffam deinde, quum ad summum honoris in Romano cœtu fastigium ascendisset, nomine Pauli IV. adoptato, cum nomine & animum mutasse, atque prorsus alium, notabili *μεταμορφωσει*, redditum esse. In librorum

(*b*) Mala in hoc opere bonis mixta esse, facile J. H. Bœclero in Bibliogr. crit. pag. 450. edit. Lipsi. largior, qui illud perperam Hieron. Wolfio tribuit, notatus propterea a Celeb. Krausio p. 878. sed exquisitissima etiam monumenta magno isthic numero, quæ alibi frustra quæras, exhiberi experientia me plus simplici vice edocuit.

rum enim prohibitorum Indicem & hoc Conſilium retulit, in litera L. atro carbone notans *Librum inſcriptum: Conſilium de emendanda Eccleſia*; quod non abs re vitio ipſi dedit Vergerius in annotationibus in iſtum Indicem ſcriptis, ac primo ejus operum adverſus Papatum Tomo inditis, p. 251. ſqq. cujus verba, etſi prolixiora, huc transferre lubet, cum quod alia etiam ad illius conſilii hiſtoriam facientia ſuppeditent, tum quod liber ſit longe rariſſimus, de quo, ſi placet, confer hujus opellæ Tom. II. p. 407. Ita autem is: *Paulus III. ex omni Epiſcoporum & Cardinalium numero novem delegit, quibus graviſſimis verbis mandavit, ut Eccleſiæ morbos accurate circumſpicerent, & nulla aut ipſius Papæ, aut cujusquam alterius habita ratione ſibi demonſtrarent, jurejurando eos obſtringens, addita etiam excommunicationis pœna, ut magno ſilentio rem agerent. Quocirca deliberatione habita, libello comprehenderunt morbos nonnullos, ſed ex levioribus, neque enim ad vivum, hoc eſt, ad corruptas ſpeciatim doctrinas manus admoverunt, tametſi uſi fuerint aliquando verbis paulo liberioribus — —* Jam conſilii ſummam tradit, quam, cum ab aliis perſpicue ſatis enarrata quoque ſit,

brevitatis gratia repetere heic nolo) *Hunc ergo libellum ipsi delecti Cardinales atque Episcopi Paulo III. obtulerunt, qui in summa nihil emendavit prorsus unquam, ut fuit revera omnis correctionis impatiens, si quis unquam Paparum fuit. Quid enim Ecclesiam emendaret homo Epicureus? Accidit, ut libellus, licet Pontifex totum illud negotium arcanum, ut dixi, esse voluisset, opera tamen Nicolai Archiepiscopi Capuani, postea Cardinalis facti, natione Bohemi, astutissimi Monachi, qui illud consilium irridebat, in Germaniam emanarit, de quo statim Lutherus primum, deinde Jo. Sturmius scripsit, deinde ego quoque non semel, & alii etiam insuper. Cum ergo Paulus IV. sensisset, sibi ac sua Romana Synagogæ inflicta esse, atque infligi cotidie ex isto libello vulnera non levia, propter liberiores scilicet illas, quas recitavi, voces & confessiones, hunc quoque libellum, si Deo placet, projecit nunc inter eos, quos velit a nemine deinceps legi, hoc est, inter hæreticos. Sed quod caput est, & pluris, quam omnia, ipsemet Paulus IV. fuit unus ex præcipuis, qui concinnarunt & dictarunt libellum. Quis non stomachetur? Quis non horrescat? cum tantam insolentiam, tantam tyrannidem audiat: haud dubie putat omnes nos caudices esse, aut*

stipites,

ſtipites, qui iſta non fuiſſemus intellecturi & evulgaturi, fortaſſis etiam in omnem poſteritatem, ad gloriam Dei, & ad perpetuam ipſius Antichriſti infamiam &c. Laudatus Wolfius l. c. f. 549. ſqq. ſiſtit aliud Conſilium trium Epiſcoporum (ſcil. Vincentii de Durantibus, Epiſcopi Thermularum Brixienſis, Egidii Falcetæ, Epiſcopi Caprulani, & Gerhardi Busdragi, Epiſcopi Theſſalonicenſis), quod de ratione ſtabiliendæ Romanæ Eccleſiæ Paulo III. Pont. Max. Bononiæ A. MDXLIX. d. 20. Aug. datum, & poſt illius obitum in palatio inventum eſſe dicitur, cujus initium hoc eſt: *Legatus tuus apud Bononienſes ſignificavit nobis, cupere Sanctitatem tuam, ut qui tuo juſſu hac in urbe recens congregati ſumus, Epiſcopi terni ſeorſim conſultaremus, quanam ratione ſtabiliri, augerique ſedes Apoſtolica poſſit, quæ hoc tempore a perfidis Lutheranis ſic infeſtatur, oppugnatur, ac debilitatur: deque ea re ſententias noſtras literis explicaremus, quas conferre inter ſe atque examinare, & de his ſecum ipſe deinde deliberare cupiat. Nos igitur tres infra nominati Epiſcopi, quanquam nec prudentia, nec doctrina, nec rerum uſu plurimum poſſumus: tamen, ut voluntati tuæ obtemperemus: noſtrum in ea re conſilium tibi ſeparatim expo-*

exponere decrevimus: ita tamen, ut sanctissimo Beatitudinis tuæ judicio omnia interim permittamus. Sed illam prius suppliciter oratam volumus, caveat, ne nostro huic consilio idem forte eveniat, quod olim sub ejus felicis Papatus initia accidisse meminimus. Cum enim IX. illi Cardinales, & una delecti aliquot Episcopi de ratione reformandæ Ecclesiæ consulerentur, ac Sanctitati tuæ libellum obtulisse, in quo illorum omnium sententiæ perscriptæ erant: illæ cum supprimi & occultari debuissent (quod & Sanctitatem tuam voluisse minime dubitamus) illico emanarunt, & in Germaniam usque dispersæ ac dissipatæ sunt. Atque in hunc modum detegi, patefierique Lutheranis hostibus nostra consilia contigit, quæ res deinde in oppugnandis nobis mirifice illis profuit. Nam libellis illico editis incredibile est, quantum in nos undique odium concitaverint, multos errores atque abusus fateri nos in Ecclesia esse dictitantes, quos tantum abest, ut corrigere ipsi velimus ut vi etiam tueri ac defendere non dubitemus: & si quis est, qui de necessaria emendatione vel hiscere audeat, eum terra marique hostiliter persequamur &c. Sed, ut ingenue fatear, mihi integrum hoc consilium a quodam Protestantium partibus addicto post primam ejus lectionem satirice con-

ce confictum videbatur, in qua mea opinione confirmatus deinde ſum, cum illud totum primo Vergerii Operum Tomo p. 94. ſqq. inſertum deprehenderem, hoc tantum diſcrimine, ut epiſcoporum nominibus omiſſis id a quibusdam Epiſcopis Julio III. Pont. Max. Bononiæ d. XX. Oct. A. MDLIII. datum dicatur, & pauca ſub finem de Angliæ Regina inſpergantur.

Verum ad prius iſtud conſilium de emendanda Eccleſia ut redeam, Jo. Sturmii Epiſtola ad Cardinales, quam id ipſi elicuit, recuſa eſt Francofurti A. MDCX. in 4. inter Diſcurſus epiſtolares politico-theologicos de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ degenerantis: tum de reformandis moribus & abuſibus Eccleſiæ, p. 69. ſqq. Hosce diſcurſus in dedicatione Melch. Goldaſto, Cunr. Rittershuſio, & Quirino Reutero ſe debere tygographus Egenolphus Emmelius profitetur. En eorum indicem, cum liber haud adeo ſit obvius: 1.) *Johann. Franciſci Pici Mirandulæ & Concordiæ Comitis Oratio ad Leonem X. P. M. & Concilium Lateranenſe de reformandis Eccleſiæ moribus.* p. 1. 2.) *Ulrichi de Hutten Equitis Franci Epiſtola ad Bilibald.*

Bilibald. Birckheymerum. p. 14. 3.) Andreæ Franci Camitiani Epistola ad eundem. p. 39. 4.) Henrici Stromeri Aurbachi Medici Epistola ad Gregorium Coppum. p. 42. 5.) Gregorii Coppi Calvi ad Stromerum responsio. p. 51. 6.) Andreæ Franci Epigrammata in Eduardum Leum reformationis ecclesiasticæ oppugnatorem. p. 66. 7.) Joannis Sturmii Epistola ad Cardinales de emendatione Ecclesiæ & religionis dissidiis. p. 69. 8.) Jacobi Sadoleti Cardinalis ad Sturmium responsio. p. 98. 9.) Jo. Sturmii ad Sadoletum Replicatio. p. 102. 10.) Jac. Sadoleti Cardin. Epistola ad Philippum Melanchthonem. p. 122. 11.) Ejusdem Epistola ad Senatum Populumque Genevensem. p. 125. 12.) Jo. Calvini Professoris Argentinensis ad Sadoletum pro Genevensibus Responsio. p. 145. 13.) Phil. Melanchthonis Epistola ad Senatum

tum Reip. Venetæ. p. 187. 14.) *Franciſci I. Galliæ Regis Epiſtola ad Phil. Melanchthonem.* p. 193. 15.) *Phil. Melanchth. ad Regem Reſponſio.* p. 194. 16.) *Ejusd. ad Joachimum Marchionem Brandenburg. S. Rom. Imp. Electorem Epiſtola.* p. 195. 17.) *Ejusd. ad Epiſcopum Pariſienſem Epiſtola.* p. 197. 18.) *Ejusd. Epiſtola ad Ioh. Sturmium.* p. 199. 19.) *Ejusd. Epiſtola ad Henricum VIII. Angliæ Regem.* p. 202.

Cæterum ſcriptis occaſione Concilii Mantuam prius indicti ſed deinceps prorogati evulgatis, annumeranda etiam videtur *Georgii Wicelii Presbyteri Conqueſtio de calamitoſo in præſens rerum Chriſtianarum ſtatu*, ad D. T. C. R. Epiſc. Mag. directa, & Islebii A. MDXXXVII. d. XX. Octobr. ſcripta, A. autem MDXXXVIII. Lipſiæ ex officina Nicolai Wolrab in 4. edita cum gratia & privilegio Majeſtatis Reg. De hujus libelli raritate judicium inde facio, quod Hermannus Conringius inter Wicelii

Wicelii aliorumque scripta varia, de necessitate reformationis Ecclesiæ Romanæ & Trident. Concilii iniquitate, Helmstadii A. 1650. excusa, atque a D. Joanne Fabricio in Histor. Biblioth. suæ Part. IV. p. 195. sqq. enarrata, eum haud exhibuerit. In illo quidem aliquoties acerbe satis in Lutherum invehitur : & qui ab ejus stant partibus, ita tamen, ut nec Romanensibus parcat. Quædam inde loca decerpere non piget. *Quid tu, Vir Præstantissime, sentis, quid ais de hujus nostræ tempestatis tempestuosissimis intemperiis ? An possint deteriore in loco esse omnia? An rerum status oecumenicus queat laudis habere minus ? Invaluit injustitia postea quam procul hinc fugit justitia, pietas occidit, veritas oppressa est, religio nutat titubatve, fides profligata moeret, innocentia relegata luget, membra Christi disjecta atque confusa sunt, sicut membra Penthei Regis. Nihil ubique totum, nihil sanum. — — — Curiæ Romanensis atque capitum quorundam ecclesiasticorum intolerabili culpa visitati sumus in judicio, & ut metuendum est, visitabimur etiam in furore, quandoquidem non convertimur ad percutientem nos. — — — — — Ecce securis ad radicem arborum posita est. Tuba speculatoris insonuit.*

insonuit. At quænam tuba? Pœnitentiam agite. Sed quis est prolixior iste atque concisus clangor? Nisi resipueritis, omnes similiter peribitis. Pontifex Rom. primo loco sese reformandum exhibeat, ut cujus ergo sicuti vulgo creditum est, tota hæc orbis discordia pullulavit. Fore autem isthuc, nonnullam spem facit nobis viri istius singularis æquitas. Fertur pius esse, præterea doctus, quo magis consentiat in doctam pietatem & in piam doctrinam. Pium hominem reformare velle absurdum est. Non abnuo, at ego hic de iis rebus magis sentio, quæ Pontificis sunt, quam de ipso Pontifice. Imo de iis magis, quæ non sunt Pontificis, sive quæ non decent Pontificem, utpote apostolicum virum, cui Ecclesiæ pedum, non sceptrum mundi commissum est, & cui claves datæ sunt, non machinæ Martiæ. R. D. Petrus Boschius, Episcopus Aquensis Legat. Apost. cum hic esset, ita mihi in privato colloquio Pontificis animum depinxit, ut non potuerim non polliceri orbi faustum Sydus, & Ecclesiæ navi exoptatam Cynosuram. Mihi enim interroganti, num qua spes reliqua esset in Concilio prava correctum iri, in hæc verba respondit: Affirmo tibi, correctionem fore a capite usque ad omnia membra. Imo a se ipso

incipiet correctionem Pontifex, invitis etiam Episcopis aliquibus. Qua promissione meis auribus nihil potuit dulcius esse. Promissio mille ducatorum in singulos annos alii grata sit (ut talia sunt pihlargyris gratissima) mihi hæc, hæc inquam promissio pontificia catorthoseos unice fuit tum optata tum accepta. Porro Pontificem suum ultro sequentur Cardinales presbyteri, quos hodie Italia habet in omni eruditionis genere excellentissimos. Nec me ullus e Roma rumor perinde adficit, quam quoties audio Cardinales presbyteros eruditos illic vivere, ut qui cum antiquis Ecclesiæ doctoribus certare possint. Cardinalium presbyterorum exemplum illustrissimum imitabuntur Episcopi, quorum dignitatem pietas ornat. Ordo Sacerdotum haud gravatim subjiciet se Hierarchiæ fastigio, si modo res gradu maturo procedat. Principes quoque seculares submittent colla regina veritati, atque augustæ justitiæ, existimantes nimirum, quanto sit satius, recto itinere ad vitam contendere, quam curvis ambagibus eo deferri, ubi nulla est redemptio. Hujusmodi, dicet aliquis, ad œcumenicum Concilium pertinent. Maxime. At quando præter opinionem differtur Concilium, & mala interim violentius inundant, non debemus emen-

emendari? Quid ſi ad Gracas Calendas (quod abſit precor) celebretur Concilium, num idcirco nolis bene agere? Non deſunt, quibus ſubit ſuſpicio, propterea in Mandrabuli morem procedere Concilium, quod in eo pſeudeccleſiaſtica tyrannis, & injuſtæ conſtitutiones, & execrandæ ſuperſtitiones, & Ariſtotelicæ ſophiſticationes & Thomiſticæ fabulationes, atque id genus exitia Chriſtianismi, priſtinæ (heu pudendæ) dignitati reſtituenda ſint. Quod ipſum ego ſi exiſtimarem futurum, quidvis libentius, quam Concilium ſuaſerim. Nunquam fiat Concilium, nunquam inquam fiat, niſi ibi ſeparetur pretioſum a vili, & Evangelii caſta veritas ſuper tectum prædicanda quam ſeveriſſime decernatur. Voluntas certe Pontificis culpa vacat. Indixit, ſed Satanas impedivit executionem. Denuo indixit in Italia, ſed denuo fruſtra: & indixit non tam aliis, quam ſibi ipſi. Nunc quandoquidem de loco rixantur, petit a Venetis commodum locum, ne deſit officio ſuo. Subvereor tamen, ne & hic Marculphus inveniat, quod cauſetur. Mantuæ corrigi renuunt, mirum ſi adnuent Paduæ aut Terviſii. Et quis locus commodus erit tam tortuoſo hominum generi? Nolunt ii convinci erroris, alii nolunt mores ſuos caſtigari, ideo utrique nolunt venire, quantumcunque (for-

tc leg. qualemcunque) *etiam civitatem deligas. Si tanta est contentio de loco Concilii, quid porro futurum in ipso Concilii tractatu? Ego sane Paulum excuso, ut qui ex animo toto concupierit Concilii effectum, tantum abest ut refugerit. Id quod si aliunde non sat scirem, poterat me de pectore probi viri certiorem reddere R. Cardin. Jacobus Symoneta, qui proximo Julio mense ad D. Friderichum Nauseam, fratrem meum dilectiss. hæc verba scripsit: Deus malefaciat Concilii interturbatoribus. Nam Pontifex eo fuit semper, mihi crede, & eo est animo, ut nihil magis cogitet quam Concilium. Ait se Cardinalem semper suasisse; uti hujus rationis pharmaco Christiana Resp. revocaretur ad sobrietatem, compelleret* (f. compelleretur) *redire ad cor, resurgeret ad justitiam & probitatem. Cum vero nunc summam ipse teneat, asserit se omnia postbaburum Concilio, quod impediri Principum discordiis, inimicitiis, odiis, injuriis, valde dolet ac lamentatur. Decreverat ipse omnino proficisci, ut edixerat per nuncios suos Christianis omnibus, sed est hominum & temporum culpa invitissime retardatus: distulitque in Calendas Novembris. Utinam & hanc statutam diem nobis non auferant, partim Turcbica, partim domestica bella, contentiones item litesque de*

loco.

loco. Nam de hoc puncto diſceptatur vehementer a mundi principibus. Alius alio tendit, quod unus vult, renuunt alii: is civitatem hanc, alius aliam poſtulat: hic vult tuto venire, ille nihil ait eſſe tutum. Paulo poſt: Tanta eſt in hoc ſanctiſſimi Domini noſtri perſeverantia, firmitas, conſtantia, ut libere audeam ego eos, qui impedimento ſunt, gravi ſcelere obſtrictos eſſe judicare, quandoquidem vaſtitatem inferunt eccleſiæ &c. Hæc Symoneta. Neque tamen nobis ſpes omnis omnino eripitur, quin ſit aliquando futurum Concilium, & illud tanto gravius, quo ſerius. Heu nobis, quam lugubre eſt, negotium ita neceſſarium, ita exoptatum, ita bonum tanto impediri tempore. Si quid doloribus poſſemus efficere, nihil reliquum foret mali. Sed præterquam quod dolentes nihil proficimus, ſubſannamur etiam ab iis, quibus dolendum erat Concilium. Suſtinemus exprobrationes odioſiſſimas in turba deriſorum, nomine Concilii. Et ea ratione in tantum abit contemtum Concilii vocabulum, ut vix aliquid ſupra. Italia hanc ob cauſam nunquam pejus audivit inter Germanos. Boni animi gemunt ad hos caſus. Magna pars deſperat de catorthomate, quippe toties verbis promiſſæ pacis inanibus delinita. Alii convitiantur tam Papis quam Lutris, ut

qui in causa sint non calamitatum harum modo, sed & auctarum in horas. Sed omnino tantem futurum est Concilium, idque forsan vocante Cæsare, quandoquidem ad Pontificis bullas surda est Germania. Interea vero quid faciemus? Papa non ea gerat, quæ gerere Papam decet? Nec Episcopus, quæ Episcopum: nec Abbas, quæ Abbatem: nec Sacerdos, quæ Sacerdotem: nec Monasta, quæ Monastam? Me consule, seu hortatore potius, faciemus suum quisque officium, non aliter animati, quam si in quinquennium prorogetur Synodus. In quinquennium non prorogabitur, (c) *attamen interea multi menses, dies & horæ labuntur. Quid si intra lustrum hoc te metat orcus? Causabere apud generale tribunal, te fefellisse Concilium? &c.* Sed de his satis, ne modum epistola excedat. Jam ad Te, ὦ φιλτατε. Quam vellem, ut tam mihi cognitum esset verum nomen Tuum, quam perspecta & explorata mihi est Tua probitas & eruditio! Non adeo forte procul a Te me remotum esse, præsagit animus: Sueviam enim nostram Te ornare, indicia haud

(c) Imo ulterius, & fere in alterum quinquennium, mi Wiceli, prorogatum fuit. Nam licet illud Paulus III. A. MDXLII. indixerit, prima tamen ejus Sessio sub finem demum Anni MDXLV. habita est.

haúd obſcura mihi perſuadent. At ubinam locorum Tua gaudia, Muſas, tam ſtrenue, tam feliciter colas, me juxta cum ignariſſimis ſcire profiteor, & doleo. Quam jucundum, quam fructuoſum mihi foret, amice Tecum per literas ſerere colloquia, Tuis frui conſiliis, a Te excitari, a Te diſcere! Redde, quæſo, me voti damnatum, ac a me ea omnia expecta, quæ a Tibi amiciſſimis, ac obſervantiſſimis virtutum Tuarum cultoribus expectare potes. Ita vale, Irenæe Suaviſſime, ac rebus proſperrimis ſemper fruere. Dabam Memmingæ A. R. S. MDCCXXVII. XIII. Kalend. Junii.

V.

VARIÆ OBSERVATIONES.

§. I.

IN ſuperiore parte (*a*) cauſam egimus D. Chriſtophori Schappeleri, primi Eccleſiæ patriæ reformatoris, eumque a nonneminis criminationibus, tabularum publicarum fide, annaliumque & aliorum bonæ notæ monumentorum teſtimonio, vindicavimus. Interim vero, quum nobis illum Memminga Sangallum confugiſſe, ibique ſuam fixiſſe ſedem compertum fuerit, per Fautorem quendam iſthic inquiri curavimus, nunquid præterea certi de ipſo indagari poſſet. Nec irritus fuit conatus. Paulo poſt enim is mecum communicavit quædam, Schappelerum concernentia, ipſa Summe Reverendi Senis Jo. Jacobi Schereri, Sangallenſis Capituli Decani præclare meriti, manu e Biographia Vener. Miniſterii Sangallenſis, quæ in librario eccleſiaſtico adſervatur, decerpta. Operæ pretium videtur,

(*a*) p. 326. ſeqq.

detur, eorum notitiam candide hic Lectoribus meis ſuppeditare. Cognovi nimirum inde, Schappelerum Sertorii etiam nomine uſum eſſe, quod tum ſuſpicabar (*b*): Anno MDXXIII. cum Vadiano Præſidem Tigurinæ diſputationis electum: Memminga NB. ob religionis controverſias abire coactum, & A. MDXXVIII. d. 15. Nov. a Magiſtratu Sangallenſi verbi divini in D. Catharinæ Monaſterio & Xenodochio præconem conſtitutum, eodemque anno ad Badenſe colloquium ablegatum: ſed An. MDXXXI, ob varias cauſas ab officio dimiſſum, A. autem MDXLII. d. 24. Julii alii eccleſiæ (*zum Linſibühl*) præfectum, & A. MDXLIII. aliquandiu iterum remotum, verum ultimo Octobris ab eodem Magiſtratu hac conditione, ut in gratiam cum collegis ſuis rediret, reſtitutum, atque præconem ad D. Magni creatum, A. tandem MDLI. cum paulo ante dimiſſionem ipſe petiiſſet, haud vero obtinuiſſet, d. 25. Aug. diem ſupremum obiiſſe. Vir dicitur fuiſſe fervidus & contentioſus, ſed eruditus, qui ſæpenumero faſſus ſit. *Er ſey in dem Papſtum* Doctor Theologiæ *ernennet, und vor einen Meiſter Hämmerlein angeſehen worden, da Er*

(*b*) p. 330.

doch auf denen hohen Schulen nichts als den Narriſtotelem, *und Meiſter von hohen Unſinnen* Petrum Lombardum *gelernet, und die Heil. Schrifft niemalen geleſen habe.* Nihil ex hac relatione Kuttgii convitiis accedit ponderis: nam licet inde Schappelerum vehementis virum ingenii fuiſſe appareat, cætera tamen ipſius criminationibus reclamant. Hinc enim elucet, eum, quem iſte ante Munzeri necem, quæ A. MDXXV. contigit, infeliciter in acie ecclidiſſe nugatur, A. demum MDLI. fatis functum eſſe. Dein veriſimile nequaquam eſt, inclytum Magiſtratum Sangallenſem infamem ſeditioſæ ruſticorum turbæ anteſignanum in ſacrum ſuæ civitatis miniſterium cooptaturum unquam fuiſſe.

§. 2.

His diebus forte fortuna aliud agendo in Joannis Trithemii Sermones & exhortationes ad Monachos (*c*) incidens, per otium eas pervolutavi, probe gnarus, Virum, inter ſui ævi πολυμαθεςάτες merito refe-

(*c*) Prodierunt A. MDXVI. in fol. ex officina typographica Joannis Knoblouch impenſis Joannis Haſelbergeri de Augia Conſtantienſis diœceſeos.

referendum, ſcriptis etiam dogmaticis & moralibus varia inſerere conſueſſe, quæ inibi haud facile quæſiveris, notatu tamen digniſſima. En quædam, in eo libro obſervata, e pluribus, ſpeciminis loco, quæ injucunda ſpero fore nemini. In Homil. VII. fol. 16. ita ſuos alloquitur Vir diligentiſſimus: *Nullum eſt opus manuale, quod monachum meo judicio plus deceat, quam libros ſacræ lectionis ſcribere, & ſcribentibus aliis neceſſaria præparare. Hunc enim ſanctum laborem oratione plerumque licebit interrumpere, & pro cibo mentis non minus quam corporis vigilare. Neceſſitas etiam nos urget libris ſcribendis cum diligentia intendere, ſi cupimus habere ad manum, unde nos mutuo poſſimus in ſtudio ſpirituali utiliter occupare. Cernitis enim hujus cœnobii bibliothecam omnem, quæ olim fuit inſignis & magna, per deformatos ante nos monachos usque adeo diſtractam, venditam & alienatam, ut ultra quatuordecim volumina non fuerint hic a nobis inventa. Induſtria quidem impreſſoriæ artis, noſtris diebus nuper apud Moguntiam inventæ, multa quotidie volumina producit in lucem, ſed comparare nobis omnia nequaquam eſt poſſibile, qui adhuc maxima deprimimur egeſtate. Quocirco vos moneo & hortor, qui*

ad

ad externos manuum labores non ſatis libenter occuritis, quatenus ad honorem Dei ſcribendis voluminibus quam diligenter laboretis: quia ſicut otioſitas inimica eſt animæ, ſic labor moderatus ſpiritualis conſervator eſt vitæ. Diſcimus inde, 1.) quis olim labor monachos in cœnobiis bene conſtitutis potiſſimum occupatos tenuerit; librorum nempe deſcriptio, & neceſſariorum ad ſcribendum præparatio. Digna ſunt, quæ hic legantur ejusdem Trithemii verba, quibus alibi (*d*) monachos compellat: *Unus corrigat, quod alius ſcripſit, alius rubro perornet, quod ille emendavit; hic notis diſtinguat, alius ſchematibus, conglutinet iſte, aut liget codicem aſſeribus: tu aptabis aſſeres, iſte eorium, laminas iſte præparet ad ornatum: ſcindat unus pergamenum, alius purget, tertius lineando ſcriptoribus aptet, alius encauſtum, alius pennas miniſtret.* 2.) Quam indigne contra quondam ab illiteratis, & omnia potius alia, quam libros curantibus monachis habita fuerint eruditionis & pietatis priſcæ monumenta. Quatuordecim duntaxat volumina in Monaſterii Spanheimenſis

(*d*) In tractatu de laude ſcriptorum manualium, cit. in diſceptatione de Secretis Societatis Jeſu, Moguntiæ. A. 1617. in 8. edita p. 135.

ſis Bibliotheca, quam olim inſignem & magnam fuiſſe dicit, inveniſſe ſe teſtatur Trithemius: fortaſſis paulo ante omnino nulla adfuerunt. Anno enim MCCCCLXIX. auſpiciis Friderici Comitis Palatini & Bavariæ Ducis iſtud cœnobium, antehac peſſime deformatum, in meliorem ordinem fuit redactum, pulſis inde indignis inquilinis, quinque ſcilicet monachos cum abbate Ottone de Colonia, quos vitam diſſolutam egiſſe idem teſtis eſt, & aliis quatuor in eorum locum introductis, datoque ipſis præſule Joanne de Colenhauſen, quem multis encomiis decorat noſter, ac inter cætera virum æterna memoria digniſſimum vocat. Credibile vero haud eſt, hunc per quatuordecim annos, quibus monaſterio laudabiliter præfuit, nullum prorſus volumen paraſſe, omnemque librorum curam abjeciſſe. 3.) Poſt excogitatam Moguntiæ, cui inventionis hic laudem tribuit (*e*) Trithemius, teſtis fere coævus, & in vicinia degens

(*e*) Diſtinctius idem hujus inventionis hiſtoriam enarrat in Annal. Hirſaug. Part. II. nec non ſub calcem Breviarii primi voluminis Hiſtoriarum de origine Regum & Gentis Francorum, Moguntiæ A. 1515. editi. Ejus verba poſt alios recitavit Clar. Maichelius in Notitia Bibliothecarum Pariſ. p. 69. ſq.

gens, adeoque fide digniſſimus, typographicam artem adhuc libros, etiam typis excuſos, deſcribi ſolitos eſſe. Hæc quum in chartam conjicerem, ea mentem ſubiit cogitatio, qui factum ſit, ut tanta hodie librorum primitus impreſſorum penuria laboremus. Albo certe corvo rariora ſunt Pſalterium A. MCCCCLVII. Durandi Rationale divinorum officiorum Anno MCCCCLIX. Catholicon A. MCCCCLX. Clementis Conſtitutiones Anno itidem MCCCCLX. & Biblia Latina A. MCDLXII. excuſa (*f*). Credo equidem, quanquam nondum id plane victum ſit, pauca tum exemplaria typis fuiſſe exſcripta: ſed eorum tamen numerum ad aliquot ceſtena aſſurrexiſſe arbitror, cum hodie adeo pauca ſuperſint, ut facile illa digitis computare queas. Præterea mirabar, ab Anno MCCCCLXII. ad A. usque MCCCCLXV. nihil prorſus, quod quidem conſtet, librorum orbi dediſſe officinam Jo. Fauſti & Petri Schoefferi, hominum maxime induſtriorum, quorum ſtudio & ſolertia ars non amplius

(*f*) Taceo prima artis rudimenta, ligno inciſa qualia recenſui Tom. I. p. I. ſqq. Tom. II. 328. & Tom. IV. p. 293. ſqq.

amplius rudis sed satis jam exculta erat. Officia profecto & Paradoxa Ciceronis, quæ sub finem demum A. MCCCCLXV. vel initium sequentis prodiisse (*g*) videntur, modicæ volumen molis, trium annorum laborem postulasse probabile non est. Aut omnia igitur me fallunt, aut Marti, jurato & irreconciliabili Musarum hosti, utrumque adscribendum venit. Scilicet Pius II. Pont. Max. Dietherrum Isenburgium, qui iniquis ejus exactionibus se opposuit, Archiepiscopatu Moguntino dejecerat, surrogato in illius locum Adolpho Nassovio. Uterque non destitutus erat adjutoribus. Ad arma igitur processum, ita vero, ut tandem Adolphi fautores Moguntiam Anno MCCCCLXII. ad finem vergente, quo Biblia lucem adspexerant, occuparent. Omnia tum ibi incendio, rapinis, cædibusque repleta. En! Dabimus brevem hujus cladis descriptionem e nostro Trithemio

(*g*) Utrumque Tullii Officiorum & Paradoxorum de A. 1465. & 1466. exemplar accuratissime se contulisse, nec quicquam præter subscriptionem, quo hoc ab illo differat, inveniisse testatur Maittaire in Annal. Typogr. Tom. I. p. 60. ut parum absit, quin una eademque videatur esse editio.

mio (*b*) : *Coadunati cives fortiter contra hostes pugnaverunt, & cum eos bis terque retrocedere compulissent, numero tamen eorum tandem superati sunt, & quadringentis eorum occisis succubuerunt. Num hostes ab una parte cum civibus acriter pugnabant, & in alia parte civitatem per traditores fecerunt incendi. Unde miseri cives & urbem ardere videntes, & se imparibus viribus cum hoste decertare non posse considerantes, projectis armis deditionem fecerunt. Quo facto civitate pulsi sunt omnes, qui arma ferre potuissent; & tam celeriter exire coacti, ut ne quidem salutatio suorum concederetur. Egrediebantur enim necessitate urgente omnes, uxoribus, liberis, amicis, & bonis omnibus in hostium potestate relictis, & ibant egentes atque mendici. Prædam hostis reperit ingentem, quæ non unius civitatis, sed pene totius patriæ thesaurus esse videbatur. Omnium namque in circuitu Monasteriorum, Ecclesiarum, nobilium & rusticorum bona mobilia in civitatem fuerant reposita, metu hostilitatis a facie inimici. Nemini parcebant, non clericis, non claustralibus*

(*b*) In Commentario de Rebus gestis Friderici Palatini Electoris, ejus nominis primi, Victorioſi vulgo dicti, quem cum notis Marquardus Freherus Heidelbergæ in 4. A. 1602. edidit. p. 31. sq.

libus, non civibus: sed quidquid poterant in tota civitate invenire, absque ulla miseratione rapuerunt. Videres ministros Christi sacerdotes una cum Judæis crudeliter captos, & in altam villam satis ignominiose duci ligatos &c. Haud itaque dubito, non multa solum librorum antehac impressorum exemplaria, quæ vel Moguntiæ in variis bibliothecis vel intra privatos adhuc Fausti & Schœfferi parietes, arte nondum satis per orbem cognita, delituerant, in ista strage periisse, verum etiam instrumenta typographica, quæ rebus ita afflictis non adeo celeriter reparari poterant. Obfuit ergo litteris Pius II. qui, cum adhuc Æneas Sylvius esset, tanto eas complexus amore, ac tot de illis nominibus præclare meritus erat, sed ita obfuit, ut simul iisdem maxime profuerit. His enim turbis Moguntia ejectus Apollo, quietis amans, alias tutioresque quæsivit sedes, primorumque typographorum ministri ac laborum socii, libertatem anhelantes, e suis evolarunt angulis, beneficio cœlitus dato alias etiam regiones beaturi: atque ita nobilissima ars, e latebris veluti prosiliens, non reliquos tantum Germanos, sed & italos, Gallos, & penitus toto divisos orbe Britannos paulo post luce

ſua colluſtravit. Hæc quæ nonnullam hiſtoriæ typographicæ lucem fœnerari poſſunt, Cel. Maittaire in Annalibus ſuis non attigit: Mallinkrotius autem, quod his jam ſcriptis demum obſervavi, ſummis tantum digitis, & in transcurſu quaſi, notans ſcilicet (*i*), Salmuthum divulgationem typographiæ in eundem annum 1462. quo Moguntia capta, direpta, & incenſa fuit, collocare, hoc adjecto epiphonemate: *Mirabili ergo divinæ bonitatis providentia peſſimæ omnium erynnes, privata diſſenſio* (artis nempe inventorum) *& publicum bellum in bonum ceſſerunt, & ars utiliſſima multis alias annis adhuc lucem ſubterfugitura, iſta occaſione maturius orbi innotuit, latiusque prodeſſe cœpit.* Cæterum ab eo tempore fere typographi, qui certatim in aliis locis celebrioribus officinas inſtruxerunt, Moguntiam vitaſſe videntur. Præter enim Schœfferum (nam Fauſti poſt edita Ciceronis officia non amplius habetur mentio) ad annum usque MCCCCLXXXVI. quo Erhardus Reuwich de Trajecto inferiori nonnihil ibi impreſſiſſe dicitur, nullius typographi Moguntini Maittaire meminit.

§. 3. Nunc

(*i*) In Diſſ. Hiſt. de ortu & progreſſu artis typograph. Cap. XII. p. 81.

§. III.

Nunc revertamur ad Trithemium, paucula ad ipsam ejus vitæ historiam pertinentia notaturi. Hosce sermones & exhortationes scripsit A. MCCCCLXXXVI. cum ætatis vigesimum quartum ageret annum. In Homiliarum enim calce hæc leguntur: *Libri primi exhortationum ad monachos finis adest manu mei propria Joannis Trithemii Abbatis Spanheimensis scripti IX. die mensis Junii. Anno Christianorum Millesimo quadringentesimo LXXXVI. Indictione quarta. Anno ætatis meæ XXIIII. Hoc opus dicavi antecessori meo nunc Abbati Selgenstatensi charissimo.* Secundum vero exhortationum librum die prima Septembris ejusdem anni se absolvisse ipsemet quoque testatur. In illo ipso autem ævi flore vigente sui aliquamdiu jam Abbatis munus sustinuerat: sed quam modestum in eo dignitatis gradu se præbuerit, hæc ejus verba (*k*) nos edocent: *Quotienscunque, fratres charissimi, ad memoriam illius recordatio momenti venerit, quando reclamantem & renitentem me vobis indignum constituistis abbatem: totiens amaritudine cordis mei totus in memetipso concutior,*

(*k*) In Homiliæ secundæ exordio.

& lacrymas etiam invitus & nolens fundere compellor. Novi enim, quod meritis meis non sum vobis prælatus: si autem vestris id factum sit nescio: concedat omnipotens Deus, ut de meritis non sit facta vel meis vestrisve hæc ipsa de me ordinatio. Cur ita voluistis, fratres? juvenem me indoctum & nequaquam idoneum ad militiam, quam profitemur, erexistis in ducem: ut mihi docere simul & discere omnino jam sit necessarium, quando nec vitæ perfectio commendat doctrinam, nec ætatis consideratio necessariam pastori adhuc consequitur auctoritatem. In isto jam triennio satis experior, quantis sum miseriis involutus: dum omnium vestrum portare infirmitates solus ipse compellor, & a nemine infelix ego supportor. Quis me liberaverit de mundi hujus vanitatibus, in quas rovocatus sum! qui ut omnem præsentis vitæ curam & solicitudinem subterfugerem monasterium intravi &c. Divini oracula verbi eum impensissime, præter illius seculi morem & genium, adamasse, maximique merito feciſſe, longe autem alia præditos fuisse mente monachos ejus cœnobii, cui præfectus erat, ex his verbis (*l*) patet: *Videmus inter vos quosdam scripturarum ignaros, instabiles mente, discolos, vagos, quibus eo ma-*

(*l*) In Homil. IV. f. 11.

eo magis imputamus ignorantiam, quo minus inclinantur ad disciplinam. Turpe quidem est nescire, quod scire juberis: turpius non discere: turpissimum vero contemnere. Et sunt inter vos quidam, qui scientiam salutarem nesciunt: sunt etiam, qui discere negligunt: quid si addam esse & alios, qui scientiam divinarum scripturarum penitus contemnant. Certe non mentior: vos scitis, quia verum est, quod dico. Nam studiis meis nonnulli vestrum atque ad invidiam graviter adversati sunt, aratorem se malle habere prælatum, quam oratorem cavillantès. Nonne & visitatores in suam trahere sententiam tentaverunt? cupientes me illorum hortatu in abnegationem traducere scripturarum, ut ruricolam facerent & porcorum curatorem potius quam animarum. Sed frustra conantur divinum impedire oraculum, quo impellente omnes mundi honores atque divitias, quamdiu vixero, studio postponere decrevi scripturarum. Abbas sum vester, quamdiu voluerit ille me, qui me vocavit: si alterum e duobus oporteat, abbatiam malo dimittere, quam sancto scripturarum studio renunciare. Scio enim vere, nihil in hac vita homini claustrali salubrius posse contingere, quam si divinas coeperit scripturas veraciter amare. Quisquis vestrum hanc institutionem meam sequi voluerit, me du-

cem itineris pariter & comitem habebit. Qui autem sequi discentem contempserit: docentem nihilominus audire compelletur vel invitus. Verba certe cedro digniſſima! Plura quo minus jam ex hocce libro decerpam, ſpatii, a Bibliopola ob figuras huic tomo additas definiti, prohibet anguſtia.

§. IV.

Varia ad hiſtoriam Confeſſionis Tetrapolitanæ, ad quam in tomo ſuperiore analecta dedimus, illuſtrandam facientia paſſim ſuppeditat ſumme Venerandus D. Valentinus Erneſtus Loeſcherus in Hiſtoria Motuum inter Evangelico-Lutheranos & Reformatos, curate & erudite conſcripta. Nos heic unicum addimus, incidiſſe interim in manus noſtras ejus Confeſſionis & Apologiæ editionem Germanicam, cujus, cum cæteras pag. 381. enarraremus, haud meminimus. Prodiit ea in forma quadrifariam complicata Neoſtadii (*an der Hardt*) ex officina Matthæi *Harniſch* Anno MDLXXX. cum præfatione editoris, in qua ſummis iſta evehitur laudibus, & omnibus reliquis confeſſionibus tantum non præfertur.

§. V.

§. V.

Quum mea de libris combuſtis typis jam eſſet exſcripta, nactus ſum Clar. Chriſt. Frid. Schindleri Diſſertationem epiſtolicam ad ſumme Rev. Lubecenſium Antiſtitem D. G. H. Goetzium de Theologis eruditis per ignem hoc ipſo anno Schneebergæ excuſam, in qua enumerantur Theologi, quorum Bibliothecas ignis vel prorſus abſorpſit, vel damno haud levi adfecit, ſequentes: Jo. Gerhardus, Jo. Amos Comenius, Jo. Valentinus Andreæ, Petrus Krogius, Georgius Vallius, Paulus Hofmannus, Samuel Langius, Michael Foertſchius, Daniel Hænichen, Georgius Seidelius, Jo. Gebhardus, Henr. Arn. Stockflethus, Jo. Rich. Otto, Jo. Mart. Schamelius, Jo. Paulus Seyfartus, & Gottfr. Schumannus, quibus ipſe etiam doctiſſimus Auctor annumerandus eſt. Eruditis autem, qui ſuas ipſi lucubrationes combuſtas voluerunt, accenſendus venit JOSEPHUS ANTONIUS VACCARI, Ferrariæ Anno 1717. d. 23. Febr. defunctus, qui paulo ante ſuprema fata, ut poſt obitum nonnulla ſua poëmata Italico & Latino ſermone conſcripta & philoſophica quædam ope-

ra flammis traderentur, mandavit, quod etiam factum est (*m*).

§. VI.

Dixi superius p. 98. Paulum IV. P. M. primum catalogum hæreticorum & librorum damnatorum typis vulgari curasse; sed didici deinde e Petri Pauli Vergerii primo operum contra Papatum tomo p. 236. eum quidem primum hujus farinæ indicem Romæ A. 1559. publicasse, alios vero ejusmodi catalogos quatuor antea jam alibi in Italia prodiisse. En ejus verba: „Cum ante decenninm Papæ animadver„tissent, in Italia quoque Evangelii facem, „licet exiguam, accensam esse, & libros „nonnullos ex eo genere circumferri, „quos ipsi (pro summa eorum cum Deo „& Christo inimicitia) summe oderunt, „Sorboniſtas atque Lovanienses imitati, „Catalogum conscripserunt, in quo pau„cos quosdam, vix LXX. notarunt, & „condemnarunt. Contra hunc, qui „omnium primus in Italia prodiit, novum „scilicet monstrum, anno scilicet 48. Venetiis

(*m*) Vid. *Neue Zeitungen von gelehrten Sachen*, A. 1719. p. 60.

netiis impreſſum, ſcripſi quædam Italice „ & reprehendi illorum non modo impieta-„ tem & blaſphemias, ſed inſcitiam quo-„ que ſingularem. Quare haud multo poſt„ anno ſcilicet 1552. alterum Florentiæ„ promulgarunt, in quo emendarunt qui-„ dem (quod fuiſſent a me moniti) non-„ nullos errores, ſed novos, & quidem val-„ de pudendos admiſerunt. Cum vero con-„ tra hunc quoque ſtylum acuere zelus glo-„ riæ Dei me impuliſſet, ecce tertium con-„ cinnarunt A. 1554. Mediolani, emenda-„ tis quidem aliquot ex erroribus, quos„ ego indicaveram, ſed additis interim non-„ nullis nihilo deformioribus, quam fue-„ rant priores. Quid multa? Quartum „ quoque Venetiis eodem anno 1554. edi-„ derunt, quem cum vidiſſem novis qui-„ busdam ineptiis atque ſtultitiis & pene fu-„ roribus refertum, hunc quoque excipien-„ dum putavi meo ſcripto, non Italico am-„ plius, ſed Latino. Poſtremo hoc ipſo„ ſcilicet anno 1559. Romæ fabrica-„ runt quintum &c.

FINIS.

Sphalmata extantiora ſic emendanda.

In Tom. V. Pag. 83. lin. 17. *Leypus.* leg. *Peypus.* p. 85. lin. 15. *Haymerni.* leg. *Haymerani.* p. 86. lin. 10. *Summarias.* leg. *Summariis.* *ib.* lin. penult. *maluerit.* leg. *maluit.* p. 87. lin. 23. poſt *tamen,* adde *quædam.* p. 88. lin. 21. *inſenſiſſimi.* leg. *infenſiſſimi.* p. 91. lin. 16. *refertur.* leg. *referuntur.* p. 93. lin. 1. *pluraque.* leg. *pleraque.* - lin. 24. *ad marginem.* leg. *in margine.*

In Tom. VI. Pag. 354. lin. 20. dele *que.* p. 374. l. 15. alienam. ibid. poſt *in* add. *eo.* p. 399. l. 1. movit. p. 479. l. 19. expiravit. p. 486. l. 8. Græce & Latine. p. 608. l. 9. cedent. p. 612. l. 23. Natalis Alexandri.

In Tom. VII. Pag. 76. l. 2. triſtiſſimas. p. 77. l. 25. Suecicorum. p. 82. l. 6. itidem. p. 91. l. ult. ad quod p. 94. l. 9. e Græcia. p. 95. l. 17. proſtet. p. 98. l. 3. poſt *P. M.* add. *quis* p. 106. l. 2. pernicioſior. p. 114. l. 4. Corpora. p. 116. l. 13. poſt *hæreticorum* add. *copiam.* p. 120. l. 3. poſt *hominum* add. *vel.* p. 125. l. 23. pro *Huſitus* leg. *Junius.* p. 151. l. 4. undas. p. 156. l. 3. quas. p. 165. l. 25. poſſent. p. 169. l. 27. Niceta. p. 171. l. 1. dele *in Belgium.* p. 285. l. 9. monachis.

Errores vero typographicos in prima & tertia diſſertat. commiſſos, temporis brevitate impeditus, ipſis doctiſſimis earum Auctoribus caſtigandos permitto.